DE IVRE

FEVDORVM

GVLIEL. HANNE-
TONII LIBRI QVA-
TVOR:

*EXEMPLARIVM DIVERSO-
rum collatione emendati: & conuenienti capi-
tum distinctione, appositioneque τῶν κε-
φαλαίων, exornati: industria
& labore Ioann. Ha-
uichorst. Mo-
nast.*

Nunquam ante hac in lucem êditi.



COLONIAE AGRIPPINAE,
*Apud Ioannem Birckmannum, &
Wernerum Richwinum.*
Anno 1565.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest. ad decennium.

8. 4.

BIBLIOTEKA * KÓRNIK *
13951

REVERENDIS, ET CONSPICVAE NOBILITATIS VIRIS D. BERNARDO Morrien, Præpoſito: D. Ioanni Schenckinck, Decano: D. Godefrido à Raëſfeldt, Scholaſteri: D. Bittero à Raësfeldt, Theſaurario: D. Rabano ab Hoërdt, Vicedomino: cæterisq; Cathedralis eccleſię Monaſterienſis Canonicis &c. Dominis ac patronis ſuis:

IOAN. HAVICHORSTIVS Monaſt. S. D.



VOD de veteribus poëtis initio ſecundi Epiſtolarum Horatius, non ea ratione & modo laudandos, cenſuit: vt nihil anteferatur, nihil ijs comparetur: idem ego de antiquis conſultis iuris, præſertim feudorum, rectè ſtatui poſſe exiſtimo, Reuerendi & conſpicuæ nobilitatis viri. Hos etenim ſi quis ita miratur, vt reliquos omnes præ illis contemnendos in animum inducat: is mea quidem ſententia fal-

litur, iudicioque vehementer errat. Nisi doctrinam annis pensandam: scriptaque perinde vt vinum, tempore meliora effici: & qui sunt antiquissimi, eosdem & optimos scriptores esse arbitretur. Nam veteris iuris beneficiorum consultos quædam nimis antiquè, pleraque durè, nonnulla & ignauè de hac ciuilis iuris parte conscripsisse, & ipsorum monumenta clarè testificantur, & Connanus primo libro Commentariorum suorum non dubitanter affirmat. Nec mirum. Cum præsertim superiorum temporum iniuria, neque satis literatè periti, neque disserendi dicendique artibus imbuti, nedum excolti, ad scribendum accesserint: & mandare literis Longobardicos Mediolanosque feudorum mores: & tradere memoriæ conati sint. Non dico hæc insectandi animo: Quin potius tantum abest, vt ego illos existimem eo nomine à quoquam vituperandos: vt etiam honore & præmio, & non venia solùm dignos esse credam: quòd veterem beneficiorum consuetudinem, licet minus ornatè politeque, mandatam suis monumentis tamen custodire voluerint: aliosque habere paratam, vnde sumeret, qui vellent scribere, materiam. At verò quicquid ab antiquis scriptoribus in hoc iure non tam rerum inscientia, quàm ignoratione docendi latè dispersum dissipatumque, ac tenebricosa barbarie obscu-

obſcuratum eſſe videbatur: id noſtri prudentes, ingenij qualitate & fiducia doctrinæ freti, in orbẽ & ad diſciplinã redigere, & ratiõe quadam conſtringere: ſermonisque elegantia ornare non infœliciter conati ſunt. Id quod apertè indicant cum aliorum monumenta, quæ de ſacris fundis, καὶ στρατιωτικοῖς κτήμασι, vt loquitur Harmenopulus, hoc noſtro ævo in lucem prolata: tum verò hi quatuor libri euidenter oſtendunt: quibus quicquid de prædijs, quæ ob fidem & obſequium fruenda conceduntur, variè diffuſeque à veteribus, vt Oberto Gerardoque, vt Beluiſio, vt Iſernia, vt Aluarotto, Iacobino, cæterisque eius farinæ authoribus, multis locis traditum eſt: idipſum Hannetonius incredibili ſtudio & labore collectum, ſingulari prudentia, & naturali ac perpetua quadam conſecutione colligatum, diſpoſuit: verbis, quantum fieri potuit, aperto, & ſententijs congruo ſermonis genere, obſcuratis antea rebus, lucem attulit: magisque magnam atque vberem, quàm difficilem & obſcuram de beneficijs artem confecit. Horum autem librorum celebres quidam Iureconſulti cum à me êditionem meditari cognouiſſent: neque ſine ingenti ſtudioſorum huius iuris incommodo poſſe differre arbitrarẽtur: vt eam maturarẽ ſummoperè hortati ſunt. ſuperioribus itaque proximis

diebus, quibus mihi à rebus caußisque forensibus otium erat, non vnum exemplar tantum perlegi, sed complura, eaque diuersa contuli. Ex varia lectione, non quæ mihi præcipuè probaretur, sed quæ authoris scriptis maximè accommoda esse videbatur, delegi: eaque in re peculiare adiumentum ex eo libro sensi, quem singulari & ingenio & doctrina præditus Ludgerus Hereßachius mihi iam pridem suppeditauit. Legum testimonia, sine quibus periti iuris loqui erubescunt, sicubi desiderarentur, adscripsimus: & hæc ipsa ne dum aceruatim multa frequentantur, intelligendi prudentiam impedirent, peculiari typorum genere discerni curauimus: Singulos libros in capita iuxta rerum cognationem affinitatemque separauimus: Et ne quid deesset, τὰ κεφάλαια, quibus ea quæ ab Hannetonio fusius disputata, summatim proponuntur, adiecimus. Hos verò quatuor libros de iure beneficiorum, quæ feuda appellantur, non inelegantter conscriptos: & labores nostros, quos in ijsdem ornandis hoc tempore consumpsimus, Reuerendis & conspicuis nominibus vestris inscriptos & dicatos emittere visum est: tum propter vestram, & maiorum vestrorum spectatam & nobilitatam virtutem, qua reliquis nostræ patriæ ordinibus præluceti: tum propter

pter singularem vestrum, amplissimisque Scholarum monumentis testatum in literas literatosque fauorem: quorum alterum ad cohonestandam beneficiorum doctrinam: ad eandem laudandam alterum comprobandamque plurimum posse intelligo. Valete. Coloniæ Agrippinæ in Scholis artium, nono Calend Septemb. Anno à Christo nato. 1564.

ELENCHVS τῶν κεφαλαίων libri primi de iure feudorum.

CAPVT I.

Quis primò ius feudorum confecerit: & quã habeat authoritatem.

II.

De origine feudorum: & quid feudum, & vnde nomen habeat.

III.

De generibus feudorum.

IIII.

De rebus, quæ in feudum dantur.

V.

De personis, ac primùm de ijs, quæ feudum dare possunt.

VI.

Quæ personæ feudum accipere possint.

VII.

De inuestitura propria & impropria.

VIII.

De inuestitura noua & veteri, coram quibus fieri debeat.

IX

De iuramento fidelitatis ligio & non ligio.

X. De

X.

De sumptibus & impendijs: quæ inter seruiendum fiunt.

XI.

De forma iuramenti fidelitatis.

XII.

De mutua Domini & vasalli obligatione.

ELENCHVS τῶν κεφαλαίων libri secundi de iure feudorum.

CAPVT I.

De præscriptionibus rerum feudalium.

II.

De intestata vasalli defuncti descendentium successione.

III.

Ex quibus caussis filij naturales & legitimi à paterni feudi successione excludantur.

IIII.

De nomine hæredis, quousque in feudi successione porrigatur.

V.

De intestata ascendentium & collateralium successione.

VI.

De ſucceſſione in capita, & in ſtirpes.

VII.

De ſucceſſione collateralium in feudis beneficijsque nouis.

VIII.

De fœminarum in feudis ſucceſſione.

IX.

Fœminæ, maſculis extantibus à feudi ſucceſſione excluduntur.

X.

De teſtata feudi ſucceſſione.

ELENCHVS τῶν κεφαλαίων libri tertij de iure feudorum.

CAPVT I.

De amiſſione feudi.

II.

De pluribus vaſalli, dominiúque defuncti hæredibus, quoad beneficij renouationem.

III.

Ex quibus cauſis vaſallus legitimæ renouationis omiſſæ pœnam euitet.

IIII.

De

De alienatione beneficij generatim ac vniuersè.

V.

De beneficij alienandi formis, vt permutatione, oppignoratione, pro annuo redditu obligatione, in solutum datione, locatione, ad pias causas donatione, in dotem datione, eaque specie alienationis, quæ fit ob vrgentem necessitatem.

VI.

De transactione super feudo, de in arbitrum & arbitratorem compromisso: de alienatione, quæ ipso iure nulla: de ea, quæ à Domino fit.

VII.

De necessaria beneficij extraneo facta traditione: vt illius adimendi species locum habeant & de ijs quorum consensus approbatioque ad alienationem requiritur: & de ratihabitione tacita & expressa.

VIII.

De ijs casibus καὶ τῶν ὑποθέσεων, *quibus beneficij alienatio sine consensu domini à beneficiario, etiam in extraneum rectè fieri potest.*

IX.

De Laudemiæ solutione inuestituræ tempore. De euictione, cuius nomine beneficiarius venditor emptori tenetur. De vnius beneficij

neficij inter cohæredes diuisione.

X.

De subinfeudatione, cum alteri feudorum pro consimili fide & obsequio fruendum conceditur: & cuius domini voluntate fiat alienatio: & à quo inuestitio petenda, & cui iure commissi aperiatur. Item de voluntarij beneficij amissione, per renunciationem, & cui hæc noceat.

XI.

De beneficij amissione, varijsque caussis, ob quas ϛρατιοτικὸν κτῆμα commissum beneficiario adimitur.

XII.

Aliæ ingrati animi ϛpecies & accepti à domino beneficij immemoris. Exempla culpæ in non dominum commissæ, ob quam auferetur militare prædium.

XIII.

De ratione ac modo quo ex caussis antecedentibus commissum à vasallo beneficium adimitur: nimirum an ipso iure: an verò per declaratoriam iudicis sententiam.

XIIII.

De hæredibus domini, an controuersiam amissionis beneficij superstiti beneficiario eoque vita defuncto, ipsius hæredibus mouere, & beneficium vindicare possint.

XV. DE

XV.

De ſucceſsionibus in beneficia morte beneficiarij: vel prætermiſsione inueſtituræ: vel auxilij denegatione: aut alienatione illicita: aut voluntaria renuntiatione: aut fortuito aliquo defectu legitimè vacantia.

XVI.

De ſucceſsionibus in beneficia, delicto beneficiarij: aut violenta inuaſione occupatione que vacantia.

XVII.

Quibus beneficiarij delictum obſit: & ex quibus cauſis dominus beneficij proprietati cedat, & cui proprietas commiſſa hoc iure deferatur.

ELENCHVS τῶν κεφαλαίων libri quarti de iure feudorum.

CAPVT I.

De competenti ſuper beneficio motæ quæſtionis & controuerſiæ diſceptatore ac iudice.

II.

De

De persecutionis genere, deque litigantium beneficiariorum, & domini iudicantis persona, quòd hæc ipsa forum non immutent: & de paribus curiæ iudicibus, quod eiusdem cum vasallis litigantibus gradus esse debeant: & de numero parium, quod non omnes simul cognoscere & iudicare teneantur, & de casibus, quibus testes potius esse pares debeant, quàm iudices: & de ijsdem inuitis & recusantibus ad iudicandum cogendis.

III.

De forma exercendi iudicij, & caussas beneficiarias coram suo iudice disceptandi ratione ac modo.

IIII.

De generibus probationum in rebus caussisque beneficialibus: & de præsumptionibus, quæ asserentem probandi onere leuant: & de iureiurando ad controuersiæ super beneficio natæ decisionem in defectum plenæ probationis deferendo.

V.

De sententia controuersiarium beneficialium.

lium diffinitiua: deque appellationibus: & de temporibus earum.

VI.

De beneficijs improprijs: & à vera propriaque beneficiorum natura speciali contrahentium pactione discedentibus, deque varijs generibus earundem.

DE

DE IVRE FEVDORVM GVLIELMI HANNETONII LIBER PRIMVS.

E manuscriptis exemplaribus iam recens in lucem prolatus: opera & studio Ioannis Hauichorstij Monasterienſis.

QVIS PRIMO IVS *feudorum confecerit: & quam habeat authoritatem.*

Caput 1.



Consuetudines feudorum, quas Corpori iuris inſertas habemus, Obertus de Orto & Gerardus Capagiſti, clariſsimi ſua tempeſtatate Iureconſulti, & in Mediolanenſi Curia diu verſati: partim ex Mediolanenſium vſu, partim ex Lõbardiæ cõſuetudinibus

A congeſ-

congesserũt. *c. vnic. De feudi cognit. c. vnic. in princip. In quib. causis feud. amitt. c. vnic. post principium. Si de feudo vasall. ab aliquo interpell. fuer.* Posteaquàm Frederici secũdi Imperatoris iussu Hugolinns Bononiensis Doctor & professor insignis, Lotharij, Conradi, atq; Frederici Imperatorum constitutiones feudales, cõsuetudinibus feudalibus ab Oberto & Gerardo anteà congestis, suis quasque locis inseruit: quod Odoffredus tradidit, *In Auth. cass. & irrita. C. de sacrosanct. eccles.* Balduque & Alferetus retulêre. *in præludijs feudorum.* Quæ quidem omnia etsi vtiliter, parùm tamẽ ex ordine facta fuêre: quod ex exemplaribus nostris satis constat: in quibus videas nõnulla titulorum capita incõgruo ordine posita esse: nonnulla sæpiùs

piùs repetita, nonnulla ab ipso contextu discrepantia. Qua ratione motus operæprecium facturus videor, si feudorum ius in nostris exemplaribus malè digestum, & à diuersis latè confuseq; tractatum, sub eo ordine ac compendio spectãdum proposuero, vt à quolibet sine tędio & difficultate percipi possit. Nam totum feudorum ius in quatuor libros (secundum eum ordinem, quem ipsius argumẽti natura exposcit) digestum distinguam: & in singulis ea omnia, quæ rei præsenti conuenire, atque necessaria esse animaduertero, in medium adducã: reliqua tanquam superuacanea omittam: vt præter difficultatẽ, quam præsentis argumenti obscuritas habet, alia ex me ipso difficultas ne obijciatur.

In primo igitur præsentis tractatus libro ostendam, quæ feudorum origo, quid feudũ, & vnde dictum: & quotuplex sit:

Quæ res in feudũ dari possint:

Quæ personæ feudum dare, & quæ accipere possint:

Qualiter feudũ constituatur.

In secundo autem libro planũ fiet, quibus modis feudum acquiratur.

In tertio verò exponam, quibus modis feudum amittatur.

In quarto atque vltimo libro perspicuum faciam, qualiter feudales controuersiæ decidantur: & quæ feuda à recti feudi natura degenerent.

Sed antequam rem ipsam aggrediar, præmonendum puto, quod, quãuis feudalia placita & scripta & impressa sint: iuris tamen

men scripti appellatione non cõtineri: sed potius non scripti. Ideoque consuetudines & vsus necessariò nominari: Cum tantùm tacito vtentium consensu ab initio inducta fuerint: *d.c. vnic. de feudi cognit.* eoque nomine cõsuetudines dici cœperint. *arg. leg. de quib. vers. inueterata. D. de legib. l. exnon scripto. Inst. de iure nat. gent. & ciuil.* Non eo nomine posteà cõsuetudines esse desierũt, quòd scripta & impressa, & Corpori iuris inserta fuerint: *DD. in d. l. de quib.* Sicuti nec Principum constitutiones, nec municipiorum statuta iuris scripti appellatione contineri desinunt, si, posteaquã expræsso Principũ consensu promulgatę, & expresso municipum consensu condita sunt, non scribantur: *DD. in l. oẽs populi. D. de iust.*

& iure. Quemadmodũ enim scriptura de iuris scripti substantia non est, sed expressus vel Principis vel populi consensus ab initio interueniens: ita nec de iuris non scripti substantia est, vt scriptum non sit, sed vt ab initio tacito populi consensu inductũ sit: *D. vers. inueterata, ibi. nam cun.* Cùm ergo feudalia placita consuetudines & sint & dici debeant, non immeritò dubitatum fuit an legis generalis authoritatẽ obtineant, possintque, vt cæteræ iuris Ciuilis, vel Canonum leges, in scholis ad intentionis nostrę comprobationem: vel in iudicijs ad causarũ feudalium decisionem allegari. Et de Imperatorum constitutionibus eis insertis cum legis generalis vigorem habeant: ℓ. *sed & quod princip. Inst. De iure nat. gen. & ciuili.*

ciuili.l.1.D.De cõst. princip. dubitandum non est: Sed an ipse consuetudines ab Oberto & Gerardo recollectæ & scriptæ legis generalis vicem obtineãt, subsisto: siquidẽ eos legis condendę authoritatem habuisse nõ constet: nec id sumatur, nisi expressim probetur. *arg. l.2.ff. penult.D.de origine iuris.* Adde, nec alibi scriptũ legi, quod quis Romanorum Imperatorum suprascriptas consuetudines ab initio locales: *d.c. vnic.De feudi cognit.* recolligi ac scribi, scriptasque tãquam constitutiones generales corpori iuris inseri iusserit. Nam vt demus, eas ab aliquo Imperatore approbatas fuisse: si tamen simpliciter, non vt cõstitutiones generales approbatæ fuerint: legis generalis vim obtinere non poterunt. *arg.l.humanum C.De legibus.*

bus. Nam videmus passim certorum territoriorum consuetudines à Principibus approbari: nec eo nomine extra eorundem fines vires obtinere. Et ideo nõ improbabilis mihi visa est Hostiẽsis sententia: *In summa in titul. de immunitate eccles. §. in quantum. versicul. Si verò paternum.* existimantis suprascriptas consuetudines in ijs tantummodo locis vires obtinere, in quibus vel vsu, vel lege municipali receptæ sunt: quod & Aegidius Belleuere de facto sibi proposito respondit: *Cons. 95.* Verùm Iacobus de Beluiso, Andr. de Isernia, Baldus, Aluerott. Iason cæteriq;: *in c. vnic. §. finali. De his qui feud. dare poss.* qui præsens argumentum tractarunt, in contrariã sententiam iuerunt: *in præludijs feud.* quibus & ipse accedo: partim vt

glos-

gloſſarũ tam iuris Ciuilis, quàm Canonũ authoritas cõſeruetur, quæ pluribus in locis ſupraſcriptas cõſuetudines ad intentionis ſuæ comprobationẽ allegârunt: partim vt pro communi obſeruatione, quæ paſsim & in ſcholis, & in iudicijs longa annorũ ſerie recepta eſt, interprætatio fiat. *arg. l. an de conſuetudine. D. de legib.* Addę & Imperatores eas, etſi non expreſsè, ſaltem tacitè approbaſſe, cum eas & corpori iuris inſeri, & in omnibus Academijs publicè legi, & paſsim in iudicijs ad controuerſiarum feudalium deciſionem allegari, cauſaſque feudales ſecundum eas decidi permiſerũt. Quinimò & Fridericus II. Imperator eas expreſsè approbaſſe videtur, cum conſtitutiones Imperiales & feudales ipſis ab Oberto

& Gerardo antea congestis inferi Doctoribus Bononiensibus iuberet. *Odoffred. in d. auth. cassa & irrita.* Huc accedit quod Romani Pontifices plurib⁹ in locis expressam iuris feudorum mentionem fecerint, ipsumque expresse comprobârint. *c. cæterũ c. nouit. De iudicijs. c. ex transmissa. c. verũ. ext. De foro cõp. c. vt suprà. ext. De reb. eccl. non alienand.* Denique constat suprascriptas consuetudines non solùm in Lombardia, sed & Germania, Gallia, alijsque regionibus, vel lõgo vtentium vsu, vel legibus municipalibus receptas esse: adeò, vt non amplius particulares, sed generales consuetudines necessariò dici debeãt. Relinquitur ergo suprascriptas consuetudines iuris communis vigorem habere: eosque omnes, qui Romano Imperio

rio subiecti sunt, ligare: nisi fortè in quibusdam territorijs contraria consuetudo, vel municipalis lex eisdem deroget. *argu. d.l. de quibus, in fi.* Quam sententiam Ioan. Andreæ, Innocētius & Panormitanus receperunt. *in cap. final. ext. De feudis.* Et quamuis dubitatum fuerit, num suprascriptæ consuetudines (cum Corpori iuris ciuilis insertæ sint) in Ecclesiastico quoque foro obseruari debeant: verius tamen est, vt eas obseruandas censeamus: Siquidem ipsæ in feudis tam Ecclesiasticis, quã profanis locum habeãt. *arg. cap. vnic. De controuersia inter Episcop. & Vasallum. d.c. cæterum, & ibi Bald. De iudicijs.* Nisi expressis Canonibus, vel cõtraria obseruatione in quibusdam casibus aliud specialiter inductum sit: *arg. c. primo &*

2. *ext.*

2.ext. *De feudis*. quod Aluerott. *in d. c. vnico. De his, qui feudum dare possunt.* & Iason *in præludijs feudorum* rectissimè tradidêre.

DE ORIGINE FEVdorum: & quid feudum, & vnde nomen habeat.

Caput II.



Feuda à vetustis Romanorũ moribus processisse nonnulli docuerunt, *in c. si clientulus. De aliena. feud.* Verum Aluerott. communiterque Doctores historiarum ignari cõtrà censuerunt. *in c. vnico. De content. inter dominum & vasall. de inuestit.* quorum opinionem Zasius meritò improbauit *in l. 2. in princi. D. de origine iuris*, diffuseque oston dit, ad priscarum clientelarum similitudem & feuda & vasallos emer-

mersisse. Nam vt olim cliētes patronis,& è contra,mutua obligatione nectebantur:sic & in feudis vasallus domino, & è cōtra,tenetur, quod suo loco diffusius explicabo. Itaq; verisimile est, cùm Romani victricia signa vbiq; terrarum circumtulissent: multiq; eorum in prouincijs remāsissent, ne pro Romano more clientibus carerent: prouinciarum incolas pro clientulis in suum patrocinium inuitasse,eisque suos agros, quibus tum abundabant clientelæ nomine concessisse, atque in beneficiū distribuisse. Quas quidem concessiones, clientelas, & eos, qui concessissent, patronos, quique recepissent, clientes vel clientulos dictos fuisse satis constat. *d.c. si clientulus*. Verum temporis processu clientelarum nomine

mine commutato, supraſcriptæ conceſsiones feuda, atque clientuli vaſalli nominari cœperunt.

Quid autem feudum ſit Obertus docuit *in c. vnico, In quibus cauſis feudū. amittatur*: aſſerens, feudū eſſe beneficium, quod ex beneuolentia alicui ita datur, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantē remaneat. &c. Verum iuris feudorum interpretes ea deſcriptione non contenti, pro ſuo quiſque ingenio feudum variè definiuerunt *in præludijs Feudorum*. Ego verò reiectis reliquorum omnium deſcriptionibus, feudum hoc modo plenè deſcribi poſſe arbitror, vt ſit conceſsio rei immobilis, vel equipollentis, *d.c. vnico. in fine. De feud. cognit.* Beneuola. *c. vnic. in fine, In quib. cauſ. feud. amit.* Ac libera. *c. 1. in fine.*

De

De feud.dat.in vim legis Commiſſ. repro. Et perpetua, *d. c. vnico in fine. In quib.cauſsis feud.amitt.* Cum dominij vtilis tranſlatione, *arg. c. vnic.in princ.verſ.rei autem. De inueſtitura,de re alie.fac.Et Bald.ibi.* Retenta tamen proprietate,*d.c.vnic. in fine.In quibus cauſsis feud. amitt.d. c.vni.§.finali.in princ. De inueſt. de re alie.fac.* Et ſub fidelitate,*c.vni.Qualiter iura.debe.vaſal.dom.fidelit.c.vni. in princip.De capit.corradi.* Atq; honeſti ſeruitij præſtatione facta. *d.c.vnic.verſ.j. & vlt.in fine.In quibus cauſſ.arg. l. generaliter. D. de verbo. oblig.*

Feudum verò à fidelitate vel fide dictũ eſt. *c.vni. in fine. Per quos fiat inueſtit.* Fidelitas namq; de feu di ſubſtantia eſt: Hincque Obertus vaſallum pluribus in locis fidelem nũcupauit.*c.vnico.§.rurſus.§.*

item

item si fidelis. Quib.mod.feud.amitt.c. vnico. De content.int.domin.& vasallum. Cæterùm feudũ etiam à fœdere dici Zasius rectè putauit *in d. l.ij.in princip.D.de origine iur.* Nam vasallus fidelitatis iuramentum domino præstando, cum eo fœdus inire videtur.*c.vni.Qualiter iura.debe.vasall.* Nec prætermittendum est,feudum etiam beneficiũ nominari,atque in hisce consuetudinibus Obertum vtroque nomine promiscuè vti. *c. vni.in principip. Quæ fuit prima cauſ. benefi. amit.* Quid ergo, an feudũ contractum esse dicemus?Et iuris Ciuilis contractum dicendum esse satis constat. *Doctores in l.j. C. de iure Emphyteut.* Sed num contractus nominatus, an innominatus sit, subsisto. Nam eum innominatũ esse Baldus cẽsuit. *in l.fina. C.quan.*

liceat

liceat ab empt. disce. & in Rubr. C. de rerum permut. quoniam actionem secundum contractus nomẽ nominatam non parit. Sed ipse sibi contrarius alibi contrarium asseruit. *in c. quæ in eccleſiarũ. ext. De cõſtitutionib.* q̃ sentẽtiam Bartolus. *in l. iuriſgentiũ. §. quinimo. D. de pactis.* Angelus. *in l. legitima. D. dict. tit.* Atq; Imola, *in d. c. quæ in Eccleſiarum,* probârunt: asserẽtes omnes nouos contractus à lege vel generali, vel municipali, vel consuetudine sub noua forma & speciali nomine introductos, nominatos censeri: Ideoque feudi contractũ nominatum esse: Quia consuetudo, quæ eum introduxit, & nomine, & forma, & naturâ eum ab alijs cõtractibus distinguit: quod & ego in feudo recto (de quo potiſsimùm nobis sermo est) verũ

esse puto: In feudo verò degenerante non item: Quia nec certam formam, nec distinctam naturam habet, vt suo loco latiùs cõprobabo. An etiam suprascriptus feudi contractus bonæfidei, an stricti iuris dicẽdus sit: Doctores nostri magnoperè dubitârunt. Nam Aluerottus ea ratione feudũ stricti iuris contractum esse existimauit: quòd à Iustiniano Imper. *in.6.actionum. Instit. de actionib.* in numero cõtractuum bonæ fidei relatus non sit: quæ sententia frequentiori calculo approbata est: eamque in feudis à priuatis personis concessis recipio. Nam constat feudum beneficium esse. *d.c. vni. in fine. In quib. caus. &c.* Quod cum à principe profectum est, latè & ex bona fide interpretari debet. *l. finali. D. de constit. prin.* Adde

& feu-

& feudum à fide dictum esse. *d.c. vnico, in fine. Per quos fiat inuestit.* Ergo bona fides in eo profusissimè exuberat: quod cùm verum est, consequens est, vt eiusdē contractus bonæ fidei esse dicatur: præsertim si cum principe initus sit. Nam omnes contractus cum principe initos, bonæ fidei esse, Baldus constanter asseruit. *in libro de pace Constant. c. in causis. & sententiæ quoque vers. si qua verò, in verbo, bona fide, in extrauagantib.* Sed nūquid feudum à perpetua Emphyteusi, vel censu differt? Et in multis differre certum est: In primis enim Emphyteuta domino suo vel certam pecuniæ quantitatem singulis annis pendere, vel aliud quiduis in recognitionis signum præstare debet: Adeò, vt si Ecclesiæ Emphyteuta sit: atque per

biennium integrum canonem non soluerit. *c. fin. in 2. part. ext. De locat. & conduct.* vel si priuati Emphyteuta sit, atq; per triennium totum pensionem præstare neglexerit, à prædijs emphyteuticarijs iure repelli possit: etiamsi à domino interpellatus non fuerit. *l. 2. in princip. C. de iure Emphyteut.* Quinimò & nonnunquam Emphyteutâ statim ab initio magnam pecuniæ quantitatem domino suo numerare solere, Bartolus & Iason, alijque tradidêre. *in l. 1. C. dicto tit.* quod & passim vsus obseruat: At vasallus neque ab initio, neque in posterum domino suo feudi nomine aliquid pendere cogitur. Quinimò & si volens id faceret, recti feudi naturam immutaret: Rectum enim feudum gratis concedi debet. *c. 1.*

De

De feud.dat. in vic. leg.commiſſ.in fine.c.vni.in fine.In quib.cauſ.feud. Prętereà nec vaſallus ſeruitia debita ſingulis annis,atq; vltrò pręſtare tenetur: ſed tum demum, cum domini neceſsitas vtilitasq; hoc expoſtulauerit: atque à domino ad id ſpecialiter, vel generaliter requiſitus fuerit.*d.c. vnic.De noua form. fidel.* Proinde ſi vaſallo defuncto eiuſdem hęres à Domino ſuo: vel domino defuncto,vaſallus à domini defuncti hærede intra annum & diem, à die mortis vtriuſque connumerandi, inueſtituram petere neglexerit, feudum amittet.*c.vni.in princip.De capit.Corradi. c. imperialem. verſ. prætereà,in fine.De prohib.feud.alienat. per Fredericum.c.j.Quo temp.miles inueſt. pet.deb.* Verum Emphyteuta ſolitam pēſionem pendēdo, vel etiā

eius hæres, liberatur: nec aliquid vltra præstare cogitur. *arg. l. viam veritatis. C. De locat. & conduct.* Deniq́ue feudum ad solos masculos de masculis descendentes trā-sit: fœminas verò non item. *d. c. vni. §. 1. vers. hoc autem. De his, qui feud. dare poss. d. c. si clientulis. vers. & si clientulus.* Sed Emphyteusis ad quoscunque hæredes, siue masculos, siue fœminas, siue exteranëos transmittitur. *arg. d. l. viam veritatis. & DD. ibidem.* Veruntamē Emphyteusis, sicuti feudum, in reb. immobilibus cōsistit. *l. 2. §. fin autē. C. De iure Emphyteu. l. 1. D. si ager vectiga. vel emphy. petat.* Et quemadmodum rei in feudum concessæ vtile dominiū in vasallum trāsire suprà tradidimus. *d. vers. rei autem & §. finali, in princip. d. c. vnic. De inuestit. de re alie. fac.* ità & rei in Emphyteu-

phyteusin datæ, vtile dominium in Emphyteutam transit. *arg. d.l. 1.in fine.D.si ager vectig.petatur.* Deniq́ue sicut obtinuit feudum rectum contractum nominatum esse: ità similiter Emphyteusim contràctum nominatũ esse, vulgò receptum est.*in l.1. C.de iure Emphyteu.* Est ergo feudum contractus ab Emphyteusi separatus, & distinctus: licet in nonnullis conueniant.Et quemadmodum reliqui cõtractus sua substãtialia, naturalia & accidentalia habent. *d.l. iurisgentium 6. vt puta, 6. quinimò.D. de pactis.l.pacta conuẽta. D.de cõtrahen.emptione:* ità & feudalis cõtractus habet. Fidelitas enim de recti feudi substantia est: Nam sine ea rectum feudum non consistere,vulgò receptum est. Quod autem vasallus domino suo seruire

teneatur: quodque soli masculi in feudum succedant, & alia id genus multa, quæ infrà suis locis trademus, de feudi recti natura sunt. Accidẽtalia verò ea omnia esse dicemus: quæ inter dominũ & vasallum extrinsecus conuenta fuerint: de quib⁹ vltimo libro diffusè agemus.

DE GENERIBVS *Feudorum. Cap.* III.

FEudum autẽ diuersi diuersè diuiserunt, alijque plures eiusdem species: alij verò pauciores enumerârũt, *in præludijs feudorum*. Ego verò eas tantummodò feudi species hoc loco enumerare constitui: quas inter cæteras præcipuas esse, quasque hoc loco necessariò tra-

ctandas esse animaduertero: reliquas verò, quas infrà suis locis necessariò tractari oportet, in præsens omittã: ne me idem sæpius repetere contingat. Feudum ergò aliud paternũ, aliud antiquũ, aliud maternum, aliud nouum est. Paternum quod à patre, vel aliquo ascendentium vsque ad quartum gradum inclusiuè, vtputa auo, proauo, & abauo acquisitum est. *c. vnic. §. hoc quoque in fine. De succes. feud. & Bald. ibid.* Quod verò ab alijs ascendentib. in vlterioribus gradib. existẽtibus, & cõmunis agnationis parẽtibus quęsitum est, antiquum feudum appellatur: Quamuis & paternum quoque impropriè nominetur. *c. vni. vers. paternum, De natu. succes. feud. c. vni. §. his verò, De succes. fratrum.* Hincque Baldus tra-

Feudorum genera.

Paternum

Antiquum

dit. *in d. §. hoc quoque.* eam rem, quæ alicui in feudum paternum expressè concessa est, vltra quartũ descentium gradum successionis iure non transferri: Quod Iacobinus de sancto Georgio posteà secutus est. *in tractat. De feudis. vers. in feudum, 3. diuisione.* Verùm cùm feudum natura sui perpetuum sit. *d. c. vnic. in fine. In quib. causs. &c.* cumque feudum à communis agnationis parẽtibus in quinto, vel vlteriori gradu satis lata impropriaque significatione paternum quoque dicatur. *d. vers. paternum* ei sententiæ non facilè subscribendum putârim. *arg. l. appellatione parentis. D. De verbo. significat. & in c. 2. eodem tit. ext.* Vt tamen omnis controuersiæ occasio tollatur, consultissimum esse non negauero, vt dominus in inuesti-

ueſtitura feudi facienda ſpecialiter exprimat, ſe id in feudum paternum & antiquum concedere: quod & Notarij, qui ſuper feudali contractu inſtrumenta conſcribunt, religioſiſsimè paſsim obſeruant. Cum ergò feudum paternum vel antiquum traditione, & antiqua inueſtiturâ ſemel queſitum ſit: conſequẽs eſt, vt ad eiuſdem acquiſitionẽ per ſucceſsionem noua traditio, vel inueſtitura neceſſaria non ſit. *c. vnic. §. ſi capitanëi, in fine De feud. March. vel Ducat.* ſed ſola iuramenti fidelitatis præſtatio. *c. vnic. in princip. Quæ fuit prima cauſs. benefic. amitt.* Prætereà tametſi feudi antiqui, vel paterni inueſtituram renouari cõtingat: ea tamen renouatio priorem feudi naturam non immutat. *Baldus in prælud. feud. in quinta diuiſione, in fine.*

fine. Quinimò & si pater adhuc superstes, filios suos de suo feudo inuestiri curauerit, ea re feudum, si antiquum vel paternũ fuerit, nouum effectum non credetur. *c. vnic. in fin. De vasall. decrep. ætat. Bald. in c. vni. De eo, qui sibi vel hæredib. suis. &c.* Nisi fortè pater feudũ in domini manus in eum finem refutârit, vel resignârit: vt dominus filios suos, quasi de nouo beneficio inuestiret: atque ex domini parte noua inuestitura eo animo facta fuerit. *c. vni. in fine. De eo qui finem fecit. &c.* Denique si vasallus ex felonia, delicto, vel perfidia feudum siue antiquum, siue paternum amiserit: proindeque dominus culpam remittendo, eum denuò inuestiuerit, feudum antiquum, vel paternum semel amissum naturæ suæ remanere

Accur-

Accursius, Albericus, alijque tradiderunt. *in l. quod dicitur. 2. in verb. creuisse. D. De impens. in reb. dot. fac.* quod & Iacobus de Beluiso, Baldus, atque Isernia probârunt. *in d. c. vnic. De vasallis decrep. ætat.* Si tamẽ vasallus delicti perpetrati nomine: vel subsequẽte Iudicis sententia: vel ipso iure (vtqui læsæ maiestatis crimen perpetrasset. *l. quisquis. C. Ad l. Iuliam maiest.*) feudo antiquo, vel paterno priuatus esset: atque in posterum, delicto sibi remisso, de eo rursus inuestiretur: feudum antiquum, vel paternum non remaneret, sed nouum crederetur: Nisi Princeps vasallũ ad omnia bona, & in pristinum statum restituisset: quod Aluerottus & Præpositus Alexandrinus censuêre. *in c. vnic. De vasall. decrep. ætatis.*

Mater-

Maternum autẽ feudum eſt, quod primùm à fœmina communis cognationis parẽte,& in quocunque aſcendentium gradu exiſtente,acquiſitũ eſt. *c.vnic. in princip.De feud.fœminæ*. Nouum verò feudum dicitur, quod nouiſsimè quæſitum eſt: & à perſona illius, qui ipſo adhuc fruitur, initium habet.*c.vni.verſ.nouam. Qui teſt.ſint neceſſ. ad nouam inueſt.c.vnic.in princip.De frat.de nouo benefi.inueſt.* Si ergo dominus, immutatis pactionibus,feudum antiquum,vel paternum, rectum & maſculinum ad fœminas extenderit, in fœminis nouum dicetur: in earundem verò filijs, alijſque ex eis deſcentibus maternũ nominabitur: q Andreas de Iſernnia. *in d. c.vnic. De vaſall.decrep.ætat.* & Præpoſitus Alexandrinus,*in præl.feudorũ, in 6.*

in 6. diuisione, rectissimè tradiderunt. Ex antiquo etiam feudo, vel paterno nouum feudum fiet: si vasalli agnatis consentientibus, atque ius suum feudale refutantibus, dominus vasallum de eo, tanquàm de nouo feudo, inuestiuerit. *c. vni. in fine. An agnatus, vel filius defuncti:* Et agnati ab eiusdem successione omninò excludentur: si simpliciter, & sine modo ius suũ refutârint. *d. c. vnic. in princip. & fine. De eo, qui sinẽ fecit agnat.* Idemque fore Præpositus Alexãdrinus censuit: *in c. vni. De vasall. decrep. ætatis.* si agnatis consentientibus, & iuri suo simpliciter renũciantibus, vasallus ipse feudum antiquum, vel paternum in eum finem refutauerit: vt alij de eo inuestiantur: atque postea simpliciter inuestiti fuerint. Quibusdã

tamen

tamen agnatis consentientibus, & quibusdam non consentientibus: illis, qui non consenserunt, præiudicium fieri nõ potest. *Præpositus d. loco*. Ex quibus satis liquet, feudum nouũ ab antiquo, vel paterno in eo differre: quod ad noui feudi successionem non nisi filij eius, qui ipsum primo acquisiuit, alijque ex eis descendentes, admittantur. *d. vers. his verò, in fine, in c. vnic. De succes. fratr. &c.* Verũ ad feudi antiqui, vel paterni successionem, non solùm descendentes: sed etiam ascendentes & agnati admittuntur. *d. c vni. in fine. De natu succes. feud*. In quibusdam tamen locis contraria cõsuetudo, feudi noui successionem cũ feudi antiqui, vel paterni successione, æquauit. Proinde in eo quoque feudum nouum ab anti-

antiquo, vel paterno differt: ꝙ feudi antiqui, vel paterni inuestitura, per quoscunque testes, fœminis exceptis, ꝓbari possit: Noui verò feudi inuestitura non, nisi per pares curiæ, id est, alios conuasallos. *d. vers. nonam, in c. vni. Qui testes sint necess.* Cæterùm quemadmodum dominus, qui à vasalli defuncti agnatis feudum reuocare cupit, ipsum nouum asserens: probare debet, quod nouum sit. *d. c. vni. vers. si verò. De succes. fratrũ.* Eò quod potius pro agnatis possidentibus, & feudum antiquum esse contendentibus, præsumatur. *c. vnic. in princip. Si de feud. contentent. sit inter domi & agnat. vasalli:* maximè si de antiqua eorundem possessione appareat. *Baldus & Aluerott. in d. c. vnic. Si de feudo defunct.* Ità similiter agnatos à vasalli de-

functi domino, & possessore feudum consequi volentes; & feudũ antiquum seu paternum esse cõtendentes: hoc ipsum probare debere, Iacobus de Beluiso rectè putauit. *in d. vers. si verò. arg. c. vnic. De content. inter me & dominum de portat. feud.* Feudum namque vel antiquum, vel paternũ esse, extrinseca qualitas est: quæ non præsumitur, nisi expressè probetur. *arg. l. sciendum D. de verbo obligat.* Quid ergo? si Episcopus, Abbas, vel alius Ecclesiæ prælatus, eam Ecclesiæ rem in feudum alicui cõcesserit, quæ anteà nemini concessa fuerit: proindèque eum de ea re tanquàm antiquo, vel paterno feudo inuestierit: asserens hanc rem, quam in feudum concedit, & ei, cui eam concedit, & eiusdem parentibus quondam in feudũ con

cessam

ceſſam fuiſſe: eamque in præſens vel antiquum, vel paternum feudum eſſe: an ea verba enũciatiua probabunt feudum conceſſum antiquum, vel paternum eſſe: eoque modo conceſsio tanquam ritè facta ſuſtinebitur? Et non probare Baldus rectè tradidit. *in præludijs feudorũ, in tertia diuiſione*: quẽ & Iacobinus, *in tractatu ſuo feudali, in verbo. in feudũ, in tertia diuiſione*, & Iaſon *in prælud. feud.* meritò ſecuti ſunt. Cum enim eccleſiarũ prælati eas eccleſiæ res, quę anteà in feudum datæ non fuerint, in feudum dare non poſsint. *arg. c. 2. De feud.* ea verba in canonis, huiuſmodi conceſsionem inhibentis, fraudem prolata, rectè credimus. *arg. l. qui teſtamẽtum, in fine. D. De probationib. l. cum quis decedẽs. θ. Titia, in fine. D. De legat. lib. 3.* Ideoq;

censerem hæc similiaque verba in instrumento inuestituræ compræhensa: quod feudum concessum antiquum, vel paternum sit: similiter nõ probare: etiamsi Prælatus vnà cum toto Capitulo, ea omnia vera esse iurasset, quæ in instrumẽto inuestiturę cõprehẽsa sunt. *arg. l. iubemus. θ. scientes, ibi. nec si oẽs. C. De sacrosanct. Ecclesijs. c. 1. De reb. Eccles. non alie. lib. 6.* quã sententiam Iason, *in prælud. feud. in tertia diuisio:* aduersus Baldum, *in prædicto loco*, rectè tradidit, & Iacobinus meritò secutus est: *in prædicto loco*: ne fraudi locus aliquis relinquatur: *arg. l. in fundo. vers. constituimus. D. De rei vendicatione.* Si tamen suprascripta verba enunciatiua, similiaque alicuius vetusti instrumenti fide iuuarentur: feudum concessum antiquũ, vel

vel paternum esse plenè probarent: Vt si in antiquo instrumento, vel vetustis literis ità enunciata, & scripta inueniantur: Tum enim antiquitatis nomine, plenã fidem eis habendam, Iacobinus re ctè existimauit. *in d. loco.* Quinimò si suprascripta verba enũciatiua, similiaque à Regibus, Principib. Ducibus, Comitibus alijsq; profanis hominibus (qui etiam res in feudum antea non concessas, in feudum dãdi potestatem habẽt) prolata essent: etiamsi instrumẽti scilicet vetusti fide, non iuuarentur, plenam fidem facerent. Et ideo si suprascriptæ personæ, similesq; res in feudũ antea nunquam concessas, iure antiqui, vel paterni feudi alicui in feudum dederint: ea verba feudum conceſſum antiquum, vel paternum

probabunt: etsi rei veritate inspecta, feudum nouum sit. Cum enim suprascriptæ personæ res tã nouas, quam antiquas in feudũ dare possint. *d, vers. nouam.* credendum non est, eas huiusmodi verba in legis fraudem expressisse. Sed an suprascriptorum verborũ vigore feudum reuerâ nouum feudi antiqui, vel paterni naturã qualitatemúe induat, dubito. Nã induere Baldus. *in c. vnic. in fine. De alienat. pater. feudi, atq;* Aluerott⁹, *in c. vnic. De vasal. decrep. ætatis.* tradidêre. *arg. l. quicunque C. De omni agro deserto, & quando steriles &c. lib.* II. Ideoque etiam absque domini consensu, in proximiores agnatos alienari posse. Verum hac in re Pauli Castrensis. *consilio.* 153. Alberici de Rosato, *in Dictionar. suo, in verbo, Nouum,* atque Iasonis sententiam,

tentiam, *in d.loco.* sequi malo, existimãtium supraſcriptorum verborum vigore, feudum nouum, antiqui, vel paterni feudi naturã, qualitatemúe non induere. Nam ſicuti feudum antiquum, vel paternum, noua inueſtitura facta, nouum nõ fieri: ſed priſtinæ ſuæ naturæ remanere ſuprà tradidimus: Ità nec viciſsim feudum reuerâ nouum, ſupraſcriptorum verborum vigore mutari, alienáque naturam aſſumere conuenit. Hæc itaq; de feudi ſpeciebus hoc loco dicta ſufficiant.

DE REBVS, QVAE IN *Feudum dantur. Cap.* IIII.

IN feudum dari res immobiles regulariter poſſunt. *c.vnic. verſ.ſciendum, De feudi cognit.* cuiuſmodi ſunt

fundi, territoria, castra, & similia. Nisi fortè res ipsę immobiles, aut sacrę, aut religiosæ, aut publicis vsibus in perpetuum destinatæ sint. Cum enim huiusmodi res in cõmercio hominum non sint: consequens est, eas in feudũ dari non posse. *arg. l. inter stipulantem. §. Sacram. D. De verb. obligationib.* Res etiam immobiles, quæ aut lege, aut statuto, aut consuetudine, aut testatoris dispositione omninò alienari prohibitæ sunt. in feudum concedi minimè possunt. *c. vnic. §. sed etiam, in princip. Per quos fiat inuestit. vel per quos recip.* Proinde & res solo cohærẽtes in feudũ dari possunt. *d. vers. Sciendum:* vt puta fructus pendentes. *arg. l. fructus. 2. D. De rei vindicat. iuncta glos. in d. vers. Sciendum.* Postremò ea etiam, quæ inter immobilia con-

numerantur, in feudum concedi poſſunt. *d. verſ. Sciendũ*: Ex quorũ numero panes ciuiles ſunt. Panes autẽ ciuiles quondã apud Romanos fuêre: qui certis anni tẽporibus his dabantur, qui teſſerã frumentariã habebãt: id eſt, ſignum, quo oſtẽſo, panes & frumẽta recipiebãt. *arg. l. ſed etſi ſuſciperet. ℞. 1. D. De iud.* qui etiã annonę ciuiles nũcupabãtur. *l. Iubemus. 2. in princ. C. De ſacroſan. Eccleſijs.* Huiuſmodi ergo panum, annonarumq; ciuiliũ, & teſſerarũ frumentariarũ prouentus in feudũ cõcedi poſſunt. *arg. l. finalis. ℞. Præterea. C. De iure dat. gloſſ. in d. verſ. Sciendũ.* Ex eorũdẽ quoq; numero pẽſiones, ſeu reditus annui ſunt. *Clemen. Exiui de Paradiſo. verſi. cũq; annui. De verbo. ſignifi.* Oẽs enim annuos reditus, qui ſuper rebus immobilib⁹ cõſtituti ſunt:

& ex eisdem exoluuntur, in feudum dari posse Baldus rectè censuit. *in d. vers. Sciendum.* Denique & ego post Andream de Isernia. *in c. vnic. Si de feud. vasall. ab aliquo interpellat. fuerit.* in illis annuis reditibus cẽserem, qui super re mobili, vtputa pecunia, constituti sunt: atque ex ea procedunt, eiusque intuitu exoluuntur. Vt si cũ alio societatem inierim, certamque pecuniæ quantitatem lucri, vel damni consequuendi nomine, in commune contulerim: vel mercatori alicui certam pecuniã in eum finẽ numerârim, vt vsus eiusdem nomine certam pensionem annuè mihi pendat: id lucrum, annuæ pensionis in feudũ concedere potero. Licet enim id lucrum eaque pensio non ex fundo, aliaúe re immobili: sed pecunia

nia antea numerata procedat: in negociatione tamẽ commercioúe hîc cõsiſtit, quod rei immobilis vicem præſtat: ideoque in feudum concedi poteſt. Ex quibus ſatis conſtat, annuos reditus, qui ex vectigalibꝰ, pedagijs, telonijs, ſimilibuſque rebus prouenire ſolent, in feudum dari poſſe. *Aluerott. in d. verſ. Sciendum*. Hincque eſt quod annuæ penſiones ex Camera: id eſt, eo loco, in quo principis theſaurus conſeruatur, in feudum dari poſsint. *c. vnic. in fine. De feudi cognit.* Hinc etiã eſt, quod eſculenta, vel poculenta ex Cauea: id eſt, eo loco in quo Principis frumenta, vina, & id genus alia, ad annonam pertinentia, cuſtodiæ cauſa rẽconduntur, in feudum concedi poſsint. *d. c. vni. in fine. De feudi cognit.* Quæ quidẽ penſiones,

siones,vel prouentus vasallo, vel pẽdi,vel præstari non debent:nisi in camera, vel cauea sit,vnde vel solui,vel præstari possint.Et ideo si Camera, vel cauea sine dñi culpa euacuata fuerit: expectare vasallus debebit, donec Camera, vel cauea soluendo sit. *c. vnic. in princip.De not.feud.* In quibus quidem feudi speciebus, si vel pensio bis,aut ter exoluta:vel prouẽtus bis, aut ter præstitus fuerit, nec de inuestitura facta constiterit:pro vasallo, qui quasi possessor existit,præsumptio erit.*c. vni. 6. si verò. Quid sit inuest.* Differuntque suprascriptæ feudi species à feudo soldatæ,in eo quòd tam ex dantis, quàm accipientis parte in hæredes trãseant:atque veræ feudi species sint: Soldata verò non item. *Iason.in prælud.feud.in fine.* Est autem

autem ſoldata præſtatio quædã annua & gratuita: quæ tam dantis, quãm accipientis morte finitur: Inde dicta, quòd plerumque in ſolidorum donatione conſiſtat: quandoque verò in eſculentis & poculentis, quæ princeps ob paupertatem alicui nobili cõcedere ſolet. *c. vnic. in fine. Quis dicatur, Dux, Marchio.* Cęterum ſi pẽſiones, vel reditus annui in ſola debitoris perſona cõſiſterent: in feudum dari non poſſent. Ideoq; in debito pecuniario feudum cõſiſtere nõ poſſe, Baldus, Aluerottus, atq; Alexãder rectè putârũt. *d.c. vnic. in fine. De feudi cognitione.* Ex quo ſatis colligere licet, eas actiones, quæ ad debitũ pecuniarium tantùm, vel rem mobilem competunt, in feudum dari non poſſe: eas verò quę ad rem immobilem,

bilem, vel debitum reale, aut mixtum competunt, posse. *Baldus in d.c.vnic. verſ. Sciendum. De feud.cognit.* Nec ſupradictis obloquitur, quod penſiones, reditus, vel prouentus annui, in pecunia numerata, vel alia re mobili conſiſtant: in qua ex eiuſdem natura directum dominium ab vtili cõmodè ſeperari non poteſt: quod tamen feudi natura imprimis expoſtulat. *c.vni. In quib. cauſſ. feud. amitt.* Nam certum eſt actionem directam, quam dominus ad penſiones, reditus, vel prouentus cõſequendos habet, ipſi directi dominij loco eſſe: Vtilẽ verò actionem, quam Vaſallus per huiuſmodi feudi conceſsionem conſequitur, vtilis dominij loco eidẽ eſſe. *Doctores in c. quærelam. De electione.* Deniq́ue non ſolùm fructus

ctus ex fundo: sed & alia qualibet re prouenientes, inter immobilia computãtur: Cuiusmodi sunt iura piscandi, venandi, lapidis cædendi, argentum vel aurum effodiendi, vrbanorum prædiorum pensiones, & id genus alia. *arg. l. diuortio. §. non solùm. cum seq. & ibi Doctores. D. Saluto matri.* Quæ quidem omnia in feudum concedi posse Doctores nostri tradiderũt. *in d. vers. Sciendum.* Postremò & iurisdictiones inter immobilia connumerantur: in eisque feudum consistere potest: sicut in alijs iurib. incorporalibus, si modò profana sint. Nã si spiritualia essent, in feudum concedi non possent: quale est ius percipiendi decimas. *arg. c. quamuis. c. prohibemus. De decimis.* Sed quamuis decimæ in feudum regulariter dari nõ possint:

d. c.

d.c.prohibemus.d.c.quamuis. Hæ tamen decimæ, quas laici ante Lateranense Cõcilium ab Ecclesijs legitimè receperunt: etiam à laico, laico in feudũ cõcedi possunt. *c.cum Apoctolica. in fine. De his, quæ fiunt à prælat.* Et si feuda in decimis consistẽtia adeò antiqua sint: vt eorundem origo hominum memoriam excedat: ante suprascriptum Vrbani Pontificis decretum, ab Ecclesia legitimè concessa esse, in dubio credentur: q crebriori calculo receptum est. *in d.c. cum Apostolica.* Licet nonnulli in contrariam sentẽtiam iuerint. *in d.c.cum Apostolica.* Sed quid si decimæ ante suprascriptum Vrbani Pontificis decretum laicis in feudum legitimè concessæ, ad Ecclesiam redierint: an rursus eisdẽ in feudum dari poterunt? Et non posse

posse Ioannes Andreæ & Panormitanus censuerunt. *in d. c. prohibemus.* Sed in contrariam sententiam Imola. *in c. 2. De decimis.* atq; Aluarottus. *in c. vni. De his qui feud. dare possunt.* iuerunt: quam frequentior calculus meritò recepit. Cùm enim huiusmodi decimæ quondam ab Ecclesia in feudum legitimè datę fuerint: quãuis ad Ecclesiam posteà redierint: in feudum tamen secundò dari non prohibentur. *c. 2. De feudis:* nec eo nomine in feudum de nouo dari dicentur: siquidem antè in feudũ semel datæ fuerint: Eaque sola in feudum de nouo dari dicantur, quę in eam causam nũquam concessa fuerunt. *glossa in d. c. prohibemus. Hostiensis in Summa, in tit. De feudis. 8. quis possit.* Hancque sententiam nõ solùm in decimis:

sed & alijs quoq; rebus ab Eccle sia in feudum quondam legitimè conceſsis: ad eamque poſtea reuerſis, vſus paſsim approbauit. Cæterum res mobiles in feudum dari non poſſe, certum eſt. *d. verſ. Sciendum.* Cùm enim huiuſmodi res vſu conſumantur: feudum in eis conſiſtere non poteſt. Nam ſi vaſallus eis vteretur, vſu conſumerentur, eaque ratione feudum interire contingeret: Si verò eis non vteretur, nullam eidem vtilitatem præſtarent, vt Andreas de Iſernia rectiſsimè cenſuit. *in d. verſ. Sciendum.* Adde & in rebus immobilibus, propter ſupraſcriptam earundem imbellitatem, dominium directum ab vtili cõmodè diſtingui non poſſe: quod tamen feudi natura expoſcit. *d.c. vnic. in fin. In quib. cauſsis. &c.* Præ-

tereun-

tereundum tamen non est, quod si re mobili in feudum concessa, fidelitatis iuramentum præstitũ fuerit, ipsum valere: atque iurantem ad eiusdem obseruationem ligare: Quia sine salutis æternæ interitu seruari potest. *arg. c. cum contingat. De iureiurando.* Obseruabitur ergo suprascriptũ iuramentum: non quidem in vim feudi: sed contractus innominati. Nam in ea re, quæ concessa est, feudum consistere non posse, suprà comprobauimus.

DE PERSONIS, AC *primùm de ijs, quæ feudum dare possunt.* Cap. V.

IMprimis feudũ dare Imperator, Reges, Principesúe in suo regno, vel principatu superiorem non re-

cognoscentes possunt: quod feudum regale dicitur, regalisque dignitas nuncupatur: quale est feudū Ducatus, Marchiæ, vel Comitatus. *c. vni. in princ. De feud. March. Ducat. vel Comit.* Vnde & Duces, Marchiões & Comites dicti sunt: qui alio nomine Capitanëi Regni vocantur, absolutamque nobilitatem habent. *c. vni. in princip. Quis dic. Dux, Marchio.* Feudum autem ducatus inde nominatum puto: quòd primùm exercituum ducibus concessum fuerit: Marchia verò à marcha, id est, limite nomita est: eò quòd vt plurimū iuxta mare sita sit. *d. c. vni. Quis dic. Dux, March.* Cæterum principes superiorem non recognoscētes, nō solùm suprascripta feuda: sed & alia inferiora, dignitatem annexam non habentia, in feudum cō cedere

cedere solent: vt cum aliquem de plebe de villa aliqua, territorijs iu risdictionem habentibus, in totum vel partem inuestiunt. *d.c. vni. Quis dicatur. Dux, March. Comes. c. vnic. §. similiter, vers. si quis de manso: Si de inuest. feud. contentio fuerit.* quique de huiusmodi inferioribus feudis inuestiti sunt, etiam Capitanei dici possunt. *d. c. vnic. Quis dica. Dux, Marchio, vel Comes.* Deinde Duces, Marchiones, Comites etiam feuda conferre possunt. *c. vni. vers. Marchio. De his, qui feud. dare poss.* quorum vasalli maiores valuasores dicuntur: quondã Regis vel regni valuasores dicti. *d. vers. March.* quos & Barones, & Capitanẽos rectè dixeris. *c. vni. vers. idem est. De natura feudi.* Cõspicuamque, non tamẽ absolutam, nobilitatem habent, *Iacobinus in*

suo tractatu. De feudis, in verb. in feudum. in 8. diuis. Sicuti nec ij, qui à principibus superiorem non recognoscentibus, feuda inferiora receperunt: qui etiam valuasores maiores rectè dicuntur. *d.c. vnic. Quis dicatur Dux, March. vel Comes.* Proindè valuasores maiores, seu Barones, rursus alijs, vt puta nobilibus, feuda concedere possunt: quorum vasalli valuasores minores dicuntur. *d. vers. Marchio*: quos etiam Capitanëos rectè nominaueris: mediocremq; nobilitatem habent. *d.c. vni. vers. si Capitanëi. De feud. March. & Ducatus.* Denique & valuasores minores, seu nobiles, alijs, vt puta plebëis, vel paganis, feuda conferre possunt: qui omnes valuasores minimi, seu valuasini dicuntur. *d.c. vni. in fine princip. Quis dicatur Dux, March. Comes.*

nul-

nullamque veram nobilitatem habent. *Ferrariensis in practica sua, in forma libelli ad reuocatio. feudi, in verb. ac nomine. in* 8. *diuis.* Ex quibus omnibus colligere licet, feudorum, & vasallorum quatuor gradus esse: Primus est Ducum, Marchionum, & Comitum: Secundus valuasorum maiorum: Tertius valuasorum minorũ: Quartus valuasinorum. *d. c. vni. Quis dic. Dux, Marchio, Comes.* Colligitur etiã eũ, qui de feudo aliquo inuestitus fuerit: etsi ignobilis sit, feudi tamen adepti nomine, eam nobilitatem consequi, quam feudũ, de quo inuestitus est, annexã habet. Hincque videmus nonnunquam eos, qui obscuro loco nati sunt, ad summum inter vasallos nobilitatis gradum peruenire: nonnunquam ad secundum: nõ-

nunquam ad tertium: pro feudi adepti, & personæ concedentis qualitate, quod ipsi vel à Principibus superiorẽ non recognoscẽtibus, vel Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus alijsque maioribus vasallis, in benemeritorum remunerationem, consecuti sunt. *arg.d.c.vni. Quis dicatur Dux, Marchio, Comes.* Porrò etsi quondam valuasini, alijque plebei, vel pagani homines feudũ dare non potuerint. *Baldus in d. vers. Marchio*: hodie tamen quilibet laicus, qui liberam suorum bonorum administrationem habet, siue masculus, siue fœmina, siue vrbanus, siue rusticus sit, propria sua bona in feudum de nouo concedere, & feuda antiqua renouare, eaque ratione sibi vasallos acquirere potest. *c. vnic. in princip. vers.*

verſ.noui. verſ. fœminam, in fine. Per quos fiat inueſt. Iaſon. in præludijs feudorum. in 6. quæſtione. Cum ergo pupilli, vel adulti legitimam bonorum ſuorum adminiſtrationem non habeãt, nec ea alienare queãt, *l. ſi curatorem. C. de in integr. reſt. mi.* conſequens eſt, vt ipſi res ſuas de nouo in feudum dare non poſſint. *d. verſ. noui.* Quod verum eſſe puto, etiamſi tutoris, vel curatoris eorundem authoritas in eam rem acceſſerit. Cùm enim feudũ in ſolis rebus immobilibus, vel quæ inter immobilia connumerantur, conſiſtat: *c. vni. verſ. ſciendũ. De feud. cog.* nec huiuſmodi pupillorum, vel adultorũ res ſine Iudicis decreto, & cauſſæ cognitione alienari poſſint. *l. 1. l. magis puto. D. de reb. eorum. qui ſub tut. vel cura ſunt. l. prædiorũ & l. ſi prædiũ verſ. Emptor.*

C. de præd. vel alijs rebus mino. Cõsequitur, vt ipsæ sine Iudicis decreto, & causę cognitione, in feudũ dari nõ possint: licet aliàs tutoris curatorisúe authoritas in eam rem accedat. Nam noui feudi concessio, vera alienationis species est. Ex quo satis apparet, pupilli tutorẽ, vel adulti curatorem, pupillo, vel adulto absente & ignorãte, multò minus id facere posse. *Doctores in d. vers. noui.* Cæterum antiqui vel paterni feudi inuestituram, etiam pupillo, vel adulto absente & ignorante, tutor vel curator facere potest: Sicuti & vice versa crediderim, pupillum, qui aliquẽ intellectum habet: & adultum etiam sine tutoris, vel curatoris authoritate, de antiquo vel paterno feudo, defuncti vasalli hæredes inuestire posse: Cùm ea re, obliga-

ligatione, qua eisdem obstringebantur, se liberent: nec conditionem suam deteriorem faciant. Nam suũ non alienant: sed quod à parentibus suis anteà alienatũ fuit: iuris necessitate impellente, approbant. *arg. l. cum à matre. C. de rei vindicat.* Qui enim vasalli defuncti hæredem de antiquo, vel paterno feudo inuestit: eam solã possessionem, quam anteà hæres iustè consecutus est, confirmat: nec ei aliquid iuris, quod anteà nõ habuit, tribuit. *d. c. vni. in princ. per quos fiat inuestitura.* Concluditur ergo nil obstare, quominus pupillus, vel adultus, etiam sine tutoris vel curatoris authoritate, antiqui vel paterni feudi inuestiturã facere possit: quod & Andreas de Iser. & Baldus rectè cẽsuerunt. *in d. c. vni. per quos fiat inuestitura.*

tura. Quinimò arbitrarer pupillum, vel adultum, sine tutoris vel curatoris authoritate, feudum antiquum, vel paternum etiam innouare posse: si modò ea in re possessio ab eis ad vasallum transferenda non sit: Nam si trãsferenda esset, tutoris vel curatoris authoritas in eam rem necessaria esset. *l. possessionẽ. D. de acqui. vel. amitt. possess.* Adultum tamen, qui curatorem non haberet, per se solùm id facere crederem. *arg. d. l. si curatorem in 2. parte.* aliàs si curatorem haberet, pupillo æquipararetur. *d. l. si curatorem in princip.* Quid autem de clericis dicemus: an ipsi, sicuti laici, bona sua patrimonialia in feudum de nouo concedere possint? Et posse dubium non est: Cùm ipsi, sicuti laici, eas alienandi liberã potestatem habeant. *c. vnic.*

c.vni. in princip. & ibi glossa & Doctores. De clerico. qui inuestiturã facit. Cæterum Ecclesiarum sibi subiectarum res, de nouo in feudum concedere non possunt. *c. vni. Episcopum, Abbatem, vel Abbatiß.* Cùm nec eas alienandi potestatem habeant. *l. Iubemus. 2. cum Authent. sequent. C. de sacrosanct. Eccles.* Quicũque ergo Ecclesiæ Prælatus Ecclesiæ sibi subiectæ rem in feudum de nouo concesserit: poterit ipse, vel alius cuius interest, huiusmodi cessionem retractare: atq; rem cõcessam recuperare: Siue ea res nouissimè, siue diutissimè Ecclesiæ acquisita fuerit. *Doctores in d.c. vnic. Episcopum, Abbatem, vel Abbatiß. & d.l. Iubemus C. de sacrosanct. Eccles.* Ea autem Ecclesiæ res in feudum de nouo data cẽsebitur, quæ ante ingressum eius, qui eam dedit,

dedit in feudum concedi non cõ-
fueuit. *d.c. vni. in fine. De cleri. qui in-
ueſtit. fac. & Doctores ibidem.* Certũ
tamen eſt Romanum Pontificẽ,
ex poteſtatis ſuę plenitudine, cu-
iuſuis Eccleſiæ res, etiã de nouo,
in feudum conferre poſſe. *arg. c. li
cet Eccleſiarum. De præbendis, lib 6.
c. propoſuit in fine. De cõceſſione præ-
bendarum.* Atq; etiam quemlibet
eccleſię prælatum, ex poteſtate ab
eodem ſibi ad id ſpecialiter data,
idem poſſe. *arg. c. 2. De feudis. c. 2. De
rebus eccleſ. alienandis, vel nõ.* Quini-
mò ſi Eccleſiæ res ab his laicis poſ
ſiderentur, à quibus eiuſdẽ Præ-
latus eas nulla ratione conſequi
poſſet: potentiori alicui laico, etiã
de nouo, in feudum dari poſſent:
qui eas ab huiuſmodi iniuſtis poſ
ſeſſoribus recuperaret: atq; recu-
peratas in feudum ab Eccleſia te-
neret.

neret. *d.c. 2.verſ. alia & in fine. De feudis.* Cæterum Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſæ, Præpoſiti, atque plebani: reliquique Eccleſiarum prælati & clerici, titulum perpetuum in beneficijs Eccleſiaſticis habentes: antiquæ eccleſiæ rem (quæ anteà in feudum dari ſolita eſt, poſteaque poſtremi vaſalli, ſine hęrede decedentis morte, vel alienatione, vel delicto ad Eccleſiam redijt) rurſus in feudum dare poſſunt. *d.c. vni. Epiſcopũ, Abbatẽ, vel Abbatiſſa. ibi. quod autem. d. c. 2. De feudis. d.c. vni. in princip. De his qui feudum dare poſſ. & gloſſa ibidem.* eamque deciſionem veram eſſe, Baldus & Iaſon tradidêre. *in d.cap. vnic. in princ. De his qui feud. dare poſſ.* etiamſi in eam rem Capituli conſenſus nõ accederet. *arg. c. vnic. in fine verſ. in*

cleri-

clericorum. Si de inueſt. inter dom. & vaſallũ lis oriatur. ℣ & paſsim vſus obſeruat. Supraſcriptæ quoque regulę locum eſſe Baldus, alijque cenſuerunt. *in c. vni. Qui ſucceſſ. teneantur.* etiamſi Eccleſiarum Prælati de prodigalitate ſuſpecti eſſent: ſi modò de ea, tanquam bonorum Eccleſię decoctores, accuſati non ſint: Si enim eſſent, etiã antiquas Eccleſiæ res in feudum concedere non poſſent. Adde & ſupraſcriptam regulam locum ſibi vindicare poſſe: etiamſi feudũ antiquum, & ab Eccleſia quondam profectum, iam apertum, & ad Eccleſiam plenè reuerſum eſſet: atque aliquot annos apud Eccleſiam remanſiſſet, priuſquam Prælatus iam mortuus eſſet: nec huiuſmodi feudum, ante mortẽ ſuam alteri cõceſsiſſet: Hoc enim non

non obstante, eiusdem successor ipsum in dominico inuentum, alteri in feudum nihilominus rectè concedere poterit. *d.c. vnic. in fine. De clerico, qui inuest. fa. & ibi Baldus, & Andræas de Iser.* Nisi fortè feudum antiquum per Prælati, vel capituli statutum, vel antiquam possessionem ad Ecclesiæ mensam redactum, atque incorporatum esset: quod Baldus & Aluarottus rectissimè tradiderunt. *in d.c. vnic. De clerico, qui inuest. fac.* Denique post Baldum & Iasonē, *in d.c. vni. in princip. De his. qui feud. dare possunt*, censerem & eam Ecclesiæ rem, quæ in feudum dari solita est, non solùm extranëis: sed & prælatorum cōsanguinëis in feudum dari posse: si modò Ecclesiæ oneri futuri nō sint. Quod autem tradidimus Ecclesiarum

prælatos antiquas Ecclesiæ res in feudum dare posse: id ita accipiendũ est, vt solius Ecclesiæ sibi subiectæ res in feudum dare possint. *d.c.vni.in princip. Episcopum, Abbatem, vel Abbatissam.* Nam, vt Baldus rectè existimauit, *in d.c.vnic.in princip. De his, qui feud. dare possunt.* superior Prælatus de feudis antiquis, ad Prælati inferioris sibi subiecti collationem spectantibus, inuestituram facere non potest. Verùm Romanus Pontifex non solùm Ecclesiæ Romanæ: sed & aliarum omnium Ecclesiarum res, vel antiquas, vel nouas in feudum concedere potest: cùm omnes Ecclesiæ ipsi æqualiter subiectæ sint. *d.c.licet Ecclesiarum.* quod & Aluarottus, & Iason probârũt. *in d.c.vni.in princip. De his qui feudũ dare poss.* Legatos tamen à latere Eccle-

Ecclesiarú in legationis suæ prouincia sitarum res, vel antiquas, vel nouas, in feudum dare non posse, Archidiaconus, *in c. de Ecclesiasticis. 25. q. 2.* Baldus, Aluarottus, atque Iason rectè putârunt. *in c. vni. in princ. De his, qui feudum dare poss.* Nisi fortè Romanus Pontifex eam potestatem ipsis expressè atq; specialiter mandârit. *arg. Authent. Perpetua. ibi. quibus hoc assignatur. C. de sacrosanct. Eccles.* Illud autem constat, quod sicuti Ecclesiæ Prælatus: ita & prælatura vacante, capitulum res in feudum dari consuetas, in feudum concedere possit. *Doctores in d. c. 2.* Sed quanto tempore Ecclesiæ res in feudum datas esse oportet: vt in feudum dari consuetæ dicantur, atque in posterum alijs in feudũ iure concedi possint? Et Baldus

putauit. *in d.c. vnic. in princ. De his, qui feudum dare poss.* quod si manifestè constaret, feudi concessionẽ in Ecclesiæ vtilitatem vergere: triginta annorum spacium sufficere: Si verò certum esset, feudi concessionem in Ecclesiæ perniciem tendere: tantùm tempus, cuius initij memoria non existat, necessarium fore: Sin autem vtrunque dubium esset, quadraginta annorum tempus constituendũ esse. Quam sententiam aduersus Iacobinum, *in prædicto loco*, ipse recipio: cùm probabilis sit, multasque Doctorum altercationes, opinionumque fluctus tollat. Omittendum tamen non est, infeudãdi consuetudinẽ circa vnam atq; alterã rem introductã, ad alias Ecclesiæ res extendendã nõ esse. *arg. l. 1. §. Iulianus. D. de itin. actuq; priuato.*

QVAE

QVAE PERSONAE *Feudum accipere poßint.* *Caput* VI.

ENimuerò feudum recipere omnes regulariter poſſunt: his ſolis exceptis, quibus id expreſsè interdictum eſt. *d.c. vni. in fine verſ perſonam, Per quos fiat inueſtit.* Hincque eſt, quod non ſolùm liberi homines: ſed etiam ſerui, feuda recipere poſsint. *d. verſ. perſonam.* receptaque dominis ſuis acquirere. *arg. ff. item vobis Inſtit. Per quas perſo. nobis acquirat.* Si tamen dominus ſeruũ ſuum de feudo ſciẽter inueſtiuerit: ea re libertatẽ ipſi dediſſe credetur. *arg. l. ſuper ſeruis. C. qui mili. poſſint. lib.* 12. Eoq; nõie feudum conceſſum, ſeruo libertate donato acquiretur. *l. cum filiofamiliâs. D. de legatis lib. pri.* Sicuti & eo caſu, quo

seruus alienus, domino sciente & patiente, ab alio de feudo ita inuestitus est: vt feudum cõcessum ipsi acquiratur. *Andreas de Isernia in d. vers. personam*. Hinc si quis errore ductus, eum quem liberum, aut libertum esse credebat, de feudo inuestiuerit: nomine erroris, qui concedentis consensum excluſit. *l. si per errorem. D. de iurisdictione*. inuestitura facta, nulla erit. *d. vers. personam, in fine*. Hinc etiam est, quod rustici, fœminę, *c. vni. & filia. De succeſs. feudi*. item & filijfamiliâs etiam hac conditione adiecta, ne patri vsusfructus acquiratur, de feudo inuestitiri possint. *arg. Auth. excipitur. C. de bonis, quæ liberis. &c*. Quod vsqueadeò verum est, vt si feudi dominus in filijfamiliâs conditione errauerit: eum errorem, inuestitura fa-

ra facta, non obesse, Andreas de Isernia rectè putârit. *in d. vers. personam.* Hinc deniqué est, quod pupilli infantibus maiores, & rationem intellectumúe aliquem habentes: item & adulti curatorem habentes, vel soli, vel cum tutore curatoreúe feudum recipere possint. *arg. §. 1. Institu. de authori. tutor. l. contra iuris. D. de pactis.* Cum ea tamẽ differentia, vt pupilli antequam ad pubertatis tempus venerint, fidelitatis iuramentum, neque per se, neq; per alium præstare cogantur. *c. vnic. §. si quis vers. si minor, & §. sequenti, in princi. Si de feudo defunc. content. inter dominum & ag.* Adulti verò siue curatorẽ habeant, siue non habeant, cogãtur. *arg. Authent. sacramenta puberum. C. si aduersus vendit. c. imperialẽ. in fine princip. vers. præterea. De prohibita*

hibita feudi alienati. per Fredericum. Verùm pupilli, infantes, furiosi & mente capti, cùm nullã prorsus rationem habeant: etiam cũ tutoris, vel curatoris authoritate, de feudo inuestiri nõ possunt: sed eorundem nomine tutores curatoresúe inuestientur, atque seruient. *Doctores in d. vers. si minor.* Adde & eum, qui ex accidenti, vel etiam à natura mutus, surdus, cæcus, claudus, vel aliàs imperfectus, feudum recipere, atque receptum retinere non prohiberi. *Andræ. de Isernia. Baldus et Aluarot. in c. vni. ℣. finali. vers. mutus. Episcopũ, Abbatem, Abbatissam.* Dominus enim illius, cui feudum cõcedit, defectum sciens: & eidem feudũ concedens, ipsi eam gratiam facere creditur: vt si per se commodè seruire non possit, per substitutum

tutum seruiat. Quid autē de personis Ecclesiasticis dicemus: an feudum recipere possint? & eas Ecclesiæ suæ nomine feudum eidem non onerosum regulariter recipere posse, certū est. *arg. c. vnic. §. fina. De capit. Corradi.* Hincque passim videmus non solùm Ecclesias Cathedrales & collegiatas: sed etiam Monasteria, feuda à Principibus profanis concessa, atq; profanam iurisdictionem habentia, possidere. Suo autem nomine Clerici nō solùm ab Ecclesia: sed & profanis quoque hominibus, clericorū conditionem non ignorantibus, feuda recipere similiter possunt. *arg. d. §. finalis.* Nam domini, tam profani, quā spirituales, Clericis feuda concedentes: & eorundem conditionem exploratam habentes: feuda scienter

concedendo, ipsis tacitè permittere videntur: vt, si officijs diuinis impediti, domino suo personaliter adesse, debitaque seruitia præstare non possint: per substitutum tunc agant: vt Prępositus, *in d. §. finali.* Andreas de Isernia, atque Aluarottus. *in c. vni. in fine. De feud. fœm.* elegantissimè tradiderunt. Ex quo colligere licet, nil impedire: quo minus Clerici feuda ab omnib. seruitijs libera (quæ passim Franca vocamus) suo nomine recipere, & possidere possint. Verùm si in feudi concessione dominus clericum, ad seruitia personaliter præstanda, conuentione facta, obstringeret: concessio nulla esset: si seruitia personalia præstando, clericus à diuinis ministerijs auocaretur. *arg. glos. final. in d. c. vnic. in fin. De feud. fœmin.*

Cæte-

Cæterum Franciſcani, & Ciſtertienſes, neque liberum, neque ſeruitijs obnoxium feudum: neque ſuo, neque Eccleſiæ nomine recipere poſſunt: *Cle. 1. verſ. prouida. verſ. cumq; annui. De verbo ſignificat. c. recolentes. De ſtatu monachorum.* quod & quidam ad reliquos Clericos, qui ex mendicantium numero ſunt: vtputa, Dominicales, Auguſtinenſes, & Carmelitas extendunt: licet vſum aliud paſſim recepiſſe, videamus. Quid ergo? an clerici & Eccleſiæ, feudorum à laicis receptorum nomine, coram ijſdem conueniri poterunt? Et non poſſe, iuris Canonũ interprætes communiter reſpondérunt. *in c. ſi diligenti. De foro compet. & arg. c. ſi caſtè. eodem tit.* Sed in contrariam ſententiam Baldus. *in c. vni. De contro. feud. apud patres termi-*

terminanda. Aluarottus. *in c. vnic. De controuerſ. inter Epiſc. & vaſal.* atque Iaſon. *in prælud. feud. in princ.* iuerunt: quam & ego veracem eſſe credo. Nam conſtat feudi controuerſiam, inter vaſallum & aliũ exortam, apud feudi dominum terminandam eſſe. *c. ex tranſmiſſa. verſ. per dominum. De foro compet.* Si ergo feudum à laico cõceſſum ſit clerico: quæſtio de eo inter vaſallum clericum, & alium clericum, vel laicum mota: apud laicũ feudi dominum terminari debebit. *c. ex tranſmiſſa, in princip.* Sicuti & vice verſa, ſi ab Eccleſia eiuſdẽúe prælato, atque alio quolibet clerico alicui laico feudum datũ fuerit: contentio de eo inter vàſallum laicum, & alium vel laicũ, vel clericum ſuperueniens, corã Eccleſia feudi domino, vel eiuſdem

dem Prelato, atque alio quolibet clerico feudi domino agitabitur & decidetur. *c. verum. De foro cõpet.* Sin autem inter dominum & vasallum, de feudo quæstio nascatur: per pares cõuasallos domus, vel Curiæ dirimetur: idque siue dominus siue vasallus, vel laicus, vel clericus sit. *d.c. vni. De contro. apud pa. termina. d.c. vni. in princ. De controuer. inter. Episc. & vasall.* Consequitur ergo, feudi secularis (quod à laico ꝓmanauit) quæstionem, in seculari foro ventilãdam & decidendam esse: Ecclesiastici verò feudi (quod ab Ecclesia, vel aliquo clerico processit) controuersiam, in foro Ecclesiastico: nulla personæ vasalli ratione habita. Natura enim causæ clerici personam ad se trahit: non è contra. *Iason. in prælud. feud. in princip.*

Præser-

Præsertim cùm ex ea re clericus lædi non possit: nec feudi controuersia Clerici personam: sed feudum ipsum tantùm respiciat.

DE INVESTITVRA *Propria & Impropria.* *Caput* VII.

FEudum non sola concessione inter viuos, vel vltima voluntate facta: sed inuestitura quoque subsequente, constituitur. Feudum namq; sine inuestitura nullo modo constitui posse, traditum est. *in c. vnic. in principio. Quib. mod. feud. const. po.* Licet ea in re consuetudinibus istis in Siciliæ regno, contraria obseruatione derogatũ esse, Andreas de Isernia tradiderit. *in c. vni. in prin. De his qui feud. dare poss.* Vide musque hodie in quibusdam locis,

cis, sola domini concessione, absque aliqua inuestitura, feuda constitui atque acquiri. Inuestitura autem (quam alio nomine inuestitionem dicere possumus. *c. vnic. in princip. Si de inuest. inter domi. & vasall. lis oriatur*) est concessionis rei feudalis per dominum factæ, confirmatio. Quæ aut propria, realis & corporalis: aut impropria, abusiua & verbalis est. Propria, realis & corporalis inuestitura est: quę reali traditione rei in feudum concessæ, fit: Vt puta cũ feudi dominus personaliter, vel per alium nomine suo, vasallum in verã rei feudalis possessionẽ, corporaliter inducit: eoque modo rem feudalem ei tradit. *c. vnic. in princip. Quid sit inuest. c. vni. in fine. De noua form. fidel.* Per quam inuestituram non solùm vera rei feudalis

dalis possessio: sed vtile quoque dominium acquiritur. *Doctores in d.c.vni. in princip. Quid sit inuest.* Impropria verò, abusiua & verbalis inuestitura est: quæ verbis, vnà cum actu corporeo, fit: Vtputa, si feudi dominus coram Curię suę paribus, vel alijs extranëis, vasallo dixerit, ictus baculi, ensis, hastæ, annuli vel alterius rei mobilis traditione: te de tali fundo, vel castro, feudi nomine inuestio. *d.c. vnic. in princip. Quid sit inuestit. c. ex ore. in princip. De his, quæ fiunt à maiore parte cap. c. 2. De consuetud.* Quę quidem inuestitura vasallo neq; possessionem, neque vtile dominium rei in feudum de nouo cõcessæ, tribuit. *d. cap. ex ore. versſ. quia verò. arg. l. cum hæredes, in princip. D. de acquirenda possess. c. per tuas. De donat.* Si tamẽ præscripta abusiua inue-

stitura in fundo, castro, vel alia re, de qua inuestitura fieret, celebraretur: vel dominus vasallo fundum, vel aliam rem in feudũ concessam, vicino loco demonstraret: eiusdemque vacuam possessionem se tradere, diceret: ea re vasallum rei in feudum concessæ possessionem, vtileq; dominiũ non minus consequi putarem, quàm si ipsi rei pedem intulisset. *arg. l. qui meo. 8. si venditorem. D. de acquir. possess. l. clauibus. D. de contrahenda empt.* Verùm si suprascripta demonstratio ex loco tam remoto fieret, vt res demonstrata oculis facilè percipi nõ posset: per eam, rei demonstratæ possessionẽ, vtileque dominium in vasallum nõ trãsferri Iacobinus rectè putauit. *in tractatu suo, De feudis, in verb. Inuestiuit.* Cùm enim res demõstra-

ta,& in feudum conceſſa, à vaſallo videri nõ potuerit, demonſtratio nulla fuit: ſicque cõceſsio anteà facta nuda rei manſit:per quã ſolam, rei feudalis poſſeſsionem dominiumque vtile in vaſallum non tranſferri,ſatis conſtat. *arg.l. quemadmodum. D. de acqui.poſſeſs.l. Traditionib.C.de pactis.l.ſi ager.D.de rei vindicat.* Cæterum etſi ſuprascripta verbalis inueſtitura vaſallum poſſeſſorem non faciat: eius tamen vigore vaſallus ea inueſtitus, propria ſua authoritate feudum ſibi conceſſum ingredi: eoque modo eiuſdem poſſeſsionẽ ſibi acquirere poteſt: vt Pontificij, *in d.c.2. De conſuetud.* atq; Feudiſtę, *in d.c.vni. Quid ſit inueſtit.* vno ore cenſuêre. *arg.l.prædio. D.de acquir. poſſeſſ.* Et ſi fortè feudũ conceſſum longum,& latum, pluribusque

busque fundis distentũ sit: vnius fundi possessionem ingredi sufficiet: vt per hoc totius feudi possessio acquisita censeatur. Cùm enim feudum, sicuti hæreditas, quid vniuersale sit: meritò vnius fundi possessione natutaliter cõpræhensa, totius feudi possessio appræhensa intelligetur; sicuti & vna re hæreditaria contrectata, totius hæreditatis res contrectatæ creduntur, *arg. l. restituta. D. ad Senatus. Trebellia.* quod Andręas de Isernia tradidit *in d. c. vnic. Quid sit inuestit.* communiterque receptum est. Si tamen fundi feudales per locorum, vel territoriorum interualla distarent: propter eorũdem distantiam suprascriptæ traditioni locus non foret. Adde & feudi dominum, qui suprascriptam verbalem inuesti-

turam fecit, eiusdem vi ad feudi, de quo inuestituram fecit, possessionem tradendam, vasallo præcisè obligari: nec id, quod ipsius interest præstando, liberari. *c. vni. §. si facta. Si de feud. content. sit inter dom. & agnat. vas.* Et si fortè, in vacuæ possessionis traditione, moram fecerit: vasallo omnem vtilitatem, quam aliàs, mora non facta, habiturus erat: præstare debebit. *d. c. vni. in fine. De noua forma fidel.* Si tamen abusiua inuestitura, de feudo alicui facta: feudi dominus de eodem feudo alteri veram inuestituram fecerit: primo inuestito id, quod sua interest præstando, liberabitur. Quia feudi possessionem ei tradendi ampliùs facultatem non habet. *glossa communiter approbata, in verb. Dominium, in d. §. si facta.* Eritque hoc secun-

secundo casu inuestitus, in feudi iure potior: propter feudi possessionem sibi primò traditam: atque vtile eiusdem dominium sibi primò quæsitum. *arg. l. quoties. C. de rei vindicat.* Eamque sententiam veram esse, Andræas de Isernia, atq; Aluarottus meritò tradiderunt. *in d. §. si facta*: etiamsi primò inuestiti iure saluo, possessio ipsi tradita fuerit. Cùm enim primò inuestitus, aduersus secundò inuestitum nullum ius habeat: suprascripta verba in feudi traditione expressa, nihil operari posse, Iacobinus rectè existimauit. *in d. loco.* Si quoq; in feudi traditione dominus secundò inuestito iniũxerit, vt si primò inuestitus feudum ei traditum petierit, eidem tradat: vel si feudum à se peti contingat, ipsum sibi re-

ſtituat, vt petenti tradat: ſecundò inueſtitus in feudo retinendo potior erit: Nec eiuſdem poſſeſsionem primò inueſtito præcisè tradere cogetur: ſed id, quod ipſius intereſt, præſtando, liberabitur. *arg. l. Stipulationes non diuiduntur. §. Celſus. D. de verbor. obligat. l. Si quis ab alio. §. finali. D. de re iudicata.* Verùm ſi feudi dominus eiuſdem poſſeſsionem ſecundò inueſtito ſub conditione, in hunc modum tradiderit: Iſtius feudi poſſeſsionem ita tibi trado: vt ſi primò inueſtitus ipſam petierit: eo ipſo ad eum reuertatur: primò inueſtitius potius erit, & traditio ſecundò inueſtito facta, pro non facta habebitur. Nam poſſeſsionem, ſicuti res, ſub conditione tradi poſſe certum eſt. *l. qui abſente. §. 1. D. De acquir. vel amitt. poſſeſs.* Idēq; fore

fore Aluarottus censuit. *in d. §. si facta, in fine.* si posteaquam primò inuestitus feudi possessionem nactus est: eo etiam sciente, nec cõtradicente, feudi dominus alium, etiam ignorantem, de eodem feudo inuestierit: eiusdemque possessionem ei tradiderit. Qui enim feudi possessionem primò nactus est, in eiusdem iure potior est. *arg. d. l. quoties.* Sin autem dubium fuerit, vtri feudi possessio primùm tradita sit: is in iure feudi potior cẽsebitur, qui priorem titulum habuerit: quod Baldus tradidit. *in d. §. si facta.* alijq; secuti sunt. Quid ergo: si de re aliena, vel alteri obligata, inuestitura facta sit: an ea euicta, vasallus de ea inuestitus, contra dominum inuestitorem euictionis nomine agere poterit? Et duobus concur

rentibus posse, certum est: Imprimis si vasallus authori suo, id est, domino denunciârit, sibi de feudo recepto ab alio litem motam esse: atque dominus ipsum in iudicio defendere recusarit, vel neglexerit: Eaque ratione vasallus, tanquam scilicet minus instructus, de aliena re inuestitus, conuictus fuerit. *c. vni. Si de feud. vasal. ab aliquo interpell. fuer. l. si fundi. vers. si cum. D. de euictio. Aluarott. in d.c. vni. §. de feud. vasall.* Proinde, si vasallus rem, de qua inuestitus fuerit, alienam fuisse ignorârit: nec distinguitur an dominus inuestitor eam suam fuisse crediderit, an alienam esse sciuerit. *c. vnic. in princip. ibi. ignorans verò. De inuest. de re alie. facta.* Verum si vasallus rem, de qua inuestitus fuit, alienam fuisse sciuerit: ea euicta, con-

tra

tra dominum inuestitorem euictionis nomine agere non poterit: *d.c.vnic.in princip.De inuestit.de re alie.fact.& DD.ibidem*: nisi speciali pacto de euictione sibi prospexerit. Sed quid si de feudo, ab alio vasallo ex inuestitura sibi legitimè facta, possesso, verus eiusdem dominus alteri inuestiturã fecerit: an ea inuestitura statim valida erit? Et validam fore certum est: etiamsi in eam vasalli possidentis consensus non accesserit: si modò ipse ea ex re detrimentum nullum patiatur: eoq; defuncto feudum ad dominum reuerti speretur. *c.vni.§.moribus. in fine.Si de feud.defunct.content.c.2.De feud.dat. in vicem legis commiß.* Sed tum demum effectũ capiet: cùm feudum domino, aut eiusdẽ hæredi apertum fuerit. *d.§.moribus, in*

prima part. Verùm si Ecclesiastica persona talem inuestituram fecerit: non aliter effectum capiet: nisi ipsi, non etiam eiusdem successori, feudum aperiatur. *d.§.moribus in secunda parte.* Si quoq; Dominus de feudo alteri legitimè semel concesso, alium inuestiens, vasallum possessorem defunctũ credat, cúm adhuc superstes sit: erroris, domini consensum declarantis, ratione. *arg. l. si per errorem D. de iurisdict.* inuestituram factá, nullius momenti esse Andreas de Isernia atque Aluarottus censuerunt. *in d.c.2.* Idemque & ipsi de ea inuestitura responderunt. *in d.c.2.* quæ tanquã de feudo per vasalli mortem vacante facta est: cùm feudum ipsum non morte, sed alio modo vacaret. *arg. c. susceptum. De rescript. lib.6.*

DE

DE INVESTITVRA *noua & veteri, coram quibus fieri debeat.* Cap. VIII.



Nueſtitura autem facta, ſi noua, id eſt, de nouo feudo facta ſit: non niſi per pares curiæ domini, qui eam fecit: vel per breue teſtatum, id eſt, inſtrumentum publicum à duobus ad minus curiæ paribus confirmatũ, probari debet. *c. vnic. princip. verſ. ſi eum. Quid ſit inueſt. c. vni. Qui teſtes ſint neceſſ. ad no. inueſt. proband.* Quod verum intelligas, ſi dominus, qui inueſtituram fecit, alios vaſallos (quos curiæ, vel curtis domus ſuæ pares dicimus) habeat: Si verò non habeat, extranei, vel breue teſtatum ab alijs confirmatum, ad nouæ inueſtituræ comprobationem ſufficiet. *d. c. vni. verſ. conſules. Qui teſtes ſint*

sint neceſs.c.vnic.verſ.quod autem.De conſuetud.recti feudi. Si verò inueſtitura facta vetus, id eſt, de antiquo & veteri feudo facta ſit: ad eam probandam extranëi (fœminis exceptis) ſufficientes erunt. *d.c.vnic.in fine. Qui teſtes ſint neceſſ.* Quinimò vt inueſtitura noua, ſiue propriè ſiue abuſiuè facta, ſtatim ab initio viribus ſubſiſtat: eam coram duobus ad minus paribus curiæ illius, qui eam fecit, factã eſſe oportet: Adeò vt ſi dominus, qui eam fecit, alios vaſallos habeat, nec ſaltem duo ex eis interfuerint, ſed alij teſtes tantũ: inueſtitura, tanquam debita ſolẽnitate omiſſa, facta nulla ſit: Etiãſi eam factam dominus confiteretur. *d.c vnic.in princip. Quid ſit inueſtit.d.c.vnic.in princip. Qui teſtes ſint neceſſar.* Verum ſi dominus, qui inue-

inuestituram nouam, vel impropriè vel abusiuè fecit, alios vasallos non haberet: eam coram alijs extranëis testibus fieri sufficeret. *d. vers. quod autẽ. c. vni. vers. quod aũt. De notis feudor.* Sanè admonendi sumus, quod si nulla inuestitura præcedente: nec duobus curiæ suæ paribus præsentibus, (cùm aliquos haberet) dominus iusserit te fundum suum ingredi, & feudi nomine possidere: tuque ingressus fueris, & feudi nomine possidere ceperis: ea tamen re, verum, & rectum feudũ acquisiuisse, non diceris. Et ideò, licet fundi possessionem taliter adeptam, quoad vixeris, quasi feudi nomine retinere possis tuus tamen hæres in hoc ius nullo modo succedet. *d. c. vni. post. princ. Quib. mod. feud. constit.* Nisi forè domino præsen-

te,

te, nec contradicente: & seruitutem tuum quasi à vasallo recipiente, in suprascripti feudi possessione integri anni tempore, & feudi nomine fueris: atque asserto iureiurando hoc ipsum cõprobare possis. *c. vnic. vers. inde etiam. De consuetud. rect. feudi. & gloss. ibid. in verb. aliquo.* Cæterum si dominus coram duobus curiæ suę paribus, vel his deficientibus, coram alijs probis & honestis viris, te castri sui possessionem ingredi, & ingressum feudi nomine tenere iussisset: eúque iussum adimpleuisses, inuestituræ loco haberetur, feudumque rectum adeptus esse diceris. *d. c. vnic. in princip. vers. quod autẽ De consue. rect. feudi. d. c. vnic. in fine princip. Quid sit inuestitura.* Relinquitur ergo, domini iussum pro possessionis traditione non habe

ri, nec

ri, nec rectum feudum constituere: nisi vel aliqua inuestitura ipsum præcesserit: vel coram duobus curiæ paribus, vel alijs testibus omni exceptione maioribus, vel in rei, quæ possideri iubetur, præsentia factus fuerit. *arg. glossæ, in verb. inuestiuit. in c. pro illorum. De præbend. & dignit.* Illud autem constat, nõ interesse per se ne, an per alium, vt puta procuratorẽ, quis inuestituram vel faciat, vel suscipiat. *c. vnic. §. 1. in fine. vers. sed verum. Per quos fiat inuest.* Constat etiam non referre, quo loco inuestituræ negotium expediatur: dummodo locꝰ tutus & honestus sit. *Præpos. in c. 1. Quo tempore miles inuestit. pet debeat.* Denique constat, in inuestitura abusiua illud perpetuum esse: quod ipsa nimirum fidelitatis sacramentum præcedere

dere debeat. *c. vnic. Quid præced. debeat, an inueſtit.* Nimis enim durum eſſet, eum qui abuſiuè de feudo inueſtitus eſt, ad fidelitatis ſacramentum compelli. Cùm feudum, cuius nomine fidelitatis iuramentum præſtatur, nullo modo conſecutus ſit. *DD. in d.c. vnic. Quid præced. debeat.* Ei tamen inueſtitura iure denegari poteſt, qui ſtatim ab initio fidelitatem præſtare recuſat. *d. c. vnic. in fine. verſ. nulla. Per quos fiat inueſtit.* Cæterùm inueſtitura vera, fidelitatis iuramentum non ſolùm præcedere: ſed etiam ſequi poteſt: vt puta, ſi primò inueſtitura abuſiua facta ſit: deinde fidelitatis iuramentum præſtitum & poſtremò inueſtitura vera, ex obligationis neceſsitate, ſubſecuta fuerit. *c. vni. in fine. De noua forma fideli.*

At ſi

At si statim ab initio propria inuestitura facta fuerit: præcedet, fidelitatisq; iusiurandum sequetur. *d.c. vni. Quid præcedere debeat.* Ex quo colligere licebit, abusiuam inuestiturã superuacaneam fore: si propria inuestitura statim ab initio facta sit. *Iacob. de Beluiso in c. vni. Quid sit inuestit.* Sed è diuerso, abusiua inuestitura semel facta: propria inuestitura nihilominus subsequi debet. *d. c. vnic. in fine. De noua form. fidelit.*

DE IVRAMENTO *fidelitatis ligio, & non ligio* Caput IX.

COnsequens igitur est, vt de fidelitatis iuramento agamus: quod à vasallo domino præstatur. *d.c. vnic. in fine. Quid præced. debeat.* atque alio nomine homa-

gium, vel vasalligiũ nuncupatur. *c. ex diligenti. De Simonia. c. finali. De reg. iuris. c. grandi. De supplen. neglig. prælat. lib.* 6. Eiusdemque duæ sunt species: ligium nempe, & non ligium. Fidelitatis iuramentum ligium est, quod solis principibus, superiorem non recognoscentibus, præstatur. Idque aduersus omnes totius mundi homines, nullis prorsus exceptis, ne quidem alijs Principibus vel profanis, vel spiritualibus superiorem similiter non recognoscentibus, qualis est Romanus Pontifex, Imperator, Galliarum Rex, & similes. *Cle. Pastoralis, vers. rursus, & gloss. ibid. in verb. homoq; ligius. De sentent. & re iudicatâ.* Hincque est, quod qui tale iuramentum præstitit, homo ligius nuncupetur: quasi ei, cui ipsum præ-

præstitit, aduersus omnes indiscriminatim homines, iuramenti præstiti nomine, ligatus & obstrictus. Ex quo colligere licet, quẽ duorum hominum ligium esse non posse. *d. gloss. in verb. homoq; ligius, in Clem. Pastoralis.* Fidelitatis verò iuramentum non ligium dicitur: in cuius præstatione aliquis nominatim excipitur: Vt si asserto iureiurando, domino à quo feudum recepi, fidelitatem aduersus omnes indiscriminatim homines promittam: excepto priori domino meo, cui ante fidelitatem iuraui: vel excepto Romano Pontifice, Imperatore, vel Rege. *c. vni. in fine tit. Hic finitur lex. c. Imperialem, in fine. De prohibita feudi alienat. per Frederi.* Nec referre puto, superioribusne Principibus, an inferioribus, & superio-

rem recognoſcentibus: vel alijs quibuſcunque dominis eiſdem ſubiectis, huiuſmodi iuramentum pręſtetur. Sed quamuis principibus ſuperiorē non recognoſcentibus vtrunque fidelitatis iuramentum præſtari poſsit: inferioribus tamē principibus, alijſque dominis eiſdem ſubiectis, iuramētum fidelitatis ligium præſtari non poteſt: ſed non ligium tantùm. Nam etſi in omni præſtatione iuriſiurandi, inferioribus dominis facti, nemo nominatim exceptus ſit: Romanus tamen Pontifex, Imperator, Rex, vel alius princeps ſuperiorē non recognoſcens, tacitè exceptus intelligitur: *arg. d.c. Imperialem, in fine. & c. venientis. De iureiurand.* Cuius reſpectu iuramentū præſtitum, non ligium dici debet.

Quam

Quam sentẽtiam aduersus nonnullos Speculator tradidit: *in tit. De feud. 6. quam, in princip.* Iasonq;, *in præludijs feud. in. 7. diuis.* & Iacobinus, *in prædicto loco*, meritò amplexi sunt. Cùm itaque Principes superiores, in omni fidelitatis iuramento nominatim excipi debeant. *d. c. imperialem, in fine.* vel si nominatim excepti non sint: tacitè excepti intelligantur. *DD. in d. c. imperialem, in fine:* consequitur vasallum, qui domino suo fidelitatẽ iurauit, aduersus supremum suum Principem eidem opem ferre non teneri. Quinimò nec expresso pacto, nec iureiurando, ad id se astringere posse. *arg. l. non dubium, in fine. C. de legibus. c. non est obligatoriũ. De reg. iuris, lib. 6.* Cùm huiusmodi pactũ iuramẽtum úe, tanquam bonis moribus repu-

nans, iuris authoritate improbatum sit. *d.c. Imperialem, in fine.* Nec huic traditioni reluctatur: quod vasallus etiam aduersus parentes, proles, fratres, aliosque consanguineos dominum defendere cogatur. *d.c. vni in fine. Hic finitur lex.* Nam principis superioris salus, parentum, filiorum, consanguineorumque saluti præponenda est. *Authent. vt cum de appel. cognos. §. aliud quoque. vers. cauſſas autem, ibi, ſi eos.* Ex quo similiter inferre licet: vasallum, qui domino suo fidelitatem iurauit, eidem aduersus patriam suppetias ferre, non teneri: nec de sacramento præstito ad id obligari. Nam aduersus patriam nec filius parenti, nec parens filio opem ferre debet. *l. minimè. D. de religios. & sumpt. funer.* ergo nec vasallus domino: Cùm

ex

ex naturali ratione, filius parenti,& è cõtra: arctiori vinculo obstrictus sit, quàm vasallus domino. Adde & Reipub. patriæque salutem, parentum liberorumque saluti anteponendam esse. *d. vers. causas autem.* Ergo & domini saluti anteponetur. Sed quid si vnus idemque vasallus duos diuersos dominos habeat: an ex iuramenti præstiti vi, vnum aduersus alterũ defendere tenebitur? Et eũ dominum, cui fidelitatis iuramentum primò præstitum fuit: quique primùm dominus esse cœpit, aduersus alium, qui postmodũ dominus factus est, defendere debere crederem, non è contra. *arg. d. c. vnic. θ. finali, in fine. Hîc finitur lex. d. c. Imperialem, in fine. vers. illud quoque. De prohib. feudi alienat. per Frederic. c. qui prior. De reg. iuris lib. 6.* Nam

certum est, prioris iuramenti vires ad istum secundum dominũ sese extendentes (nisi in eiusdem præstatiõe nominatim exceptus fuerit) subsequentis iuramenti vi infirmari non posse. *arg.c.intellecto,in fine.De iureiurando.* Verùm si dubium esset,nec constare posset: vtri primùm fidelitatis iuramentum præstitum esset: neutri subsidium ferre teneretur: Nevnum defendendo ignoranter,alterum forsitan iniquè lædat. *Ferrarienſ.in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi,in verſ. contra debitum.* Si tamen manifestè constaret,alterum iustè bellum mouisse,alterum verò iniustè: Eo casu eum,quem iustum bellum fouere constaret, aduersus alterum defendendum putarem.Certum enim est, eum vasallum, qui scit domi-

dominum ſuum iuſtum bellum fouere, aut id dubitat: ei tam ad alterius offenſionẽ, quàm ipſius defenſionem auxilium præſtare teneri: Eum verò qui contrariũ exploratum habet, ad eiuſdẽ defenſionem tantùm dominũ ſuũ iuuare teneri: ad alterius verò offenſionem (niſi velit) non teneri. *c. vnic. in princip. Hîc finitur lex.* quod aduerſus Iacobinum, *in tra ctatu ſuo, De homagijs, in princip.* nõ in eo ſolùm vaſallo verũ eſſe crediderim: qui iuramentum non ligium tãtùm feudi nomine præſtitit: ſed & eo quoque, qui ſuperiori alicui Principi ſuperiorem non recognoſcenti, iuſiurãdum ligium præſtiterit. Sanè domino, vel à Principe in exilium miſſo, vel à Pontifice excommunicato, vaſallus nullius iuriſiurandi vi-

gore opẽ ferre, ſeruitiaq; prẽſtare cogitur: Quoniã excõmunicatione, vel exilio durãte, fidelitatis ſacramẽto ſolut⁹ eſt. *d.c.vnic.ĩ fi.prin. Hîc finitur lex.* Idẽq; à fortiori cenſendũ erit: ſi feudi dñs hæreticus eſſe & ſit. *arg.l.1.C.de hær.& Manich.* Cæterũ & ſi vaſallus, q iuramentũ nõ ligiũ tantũ præſtitit: etiã ſine dñi ſui volũtate, feudũ iure refutare poſsit: *c.vni.in fine. De vaſall. qui cõtra cõſt. Loth.* qui tamen ſacramentũ ligiũ prẽſtitit: dño inuito, feudo ſuo renunciare nõ poteſt. Quia cõtra & cũ ſuperioribꝰ Principibus initi, legis vicẽ obtinẽt. *l.1. C.de dona.inter virũ & vxorẽ. l.Cæſar. D.de pub.& vectig.& cõmiſ.* Præterà q̃is iureiurãdo nõ ligio, à vaſallo feudi noĩe dño præſtito: feudi dñs in iſtis bonis feudalibus iuriſdictionẽ nõ habeat. *DD.in c.cæterũ.*

De

De iudicijs: attamẽ iuramẽto ligio feudi noĩe à vaſallo dño prẹſtito: feudi dñs nõ ſolũ in bonis feudalibus: ſed etiã alijs omnibus vaſalli bonis (dũmodò ab alio domino in feudum nõ teneantur) iuriſdictionẽ habẹt. Cùm enim vaſallus iuramentũ ligium domino prẹſtãdo, ſe eiuſdem iuriſdictioni principaliter, id eſt, ipſius domini potiſsimũ, non feudi tantũ nomine ſubijciat: per cõſequens & oĩa ſua bona eiuſdẽ iuriſdictioni ſubijcere videtur. *arg. Authent. ingreſs. C. de ſacroſ. Eccle. l. ſi paterfamiliâs. D. de adoptionib.* Sed cùm vaſallus iuſiurandum non ligium domino præſtando: non niſi feudi recepti nomine, perſonam ſuã eidem obſtringat: dominus non, niſi ratione rerum in feudum cõceſſarum, iuriſdictionem in eum habet:

habet: quod eleganter Speculator tradidit. *in d. §. quoniam vers. decimo septimo quæritur.* Iasonque, *in in prælud. feudorum. in. 7. diuis. in fine.* Et Iacobinus, *in c. prædicto.* meritò approbârunt.

DE SVMPTIBVS ET *Impēdijs: quæ inter seruiendum fiunt.* Cap. X.

QVid ergo? an vasallus vel ligius, vel nō ligius proprijs suis sumptibus domino suo opem ferre: atque debita seruitia præstare teneatur? Et non teneri, Innocentius censuit. *in c. sicut De iureiurando.* Nisi vel domini vasalliq; conuentio: vel alibi contraria obseruatio aliud induxerit. Sed hac in re, verior mihi visa est Speculatoris, *in d. §. quoniam, vers. vigesimo secundō quæritur.*

tur, atque Iacobini ſententia: *in tractatu ſuo, De feud. in verb. & promiſerunt, in princip.* exiſtimãtium, vaſallum proprijs ſuis ſumptib. domino ſuo adeſſe, atque ſeruitia debita eidem præſtare debere: ſi feudum ab eo receptum, opulentum, magniſque emolumenti ſit: atque vaſallus huiuſmodi ſumptus facilè ferre poſsit. *arg. l. ſuo victu. cum l. ſequen. D. de ope. libert.* Iaſonque. *in l. ſi non ſortem §. libertus. D. de condict. indeb.* Hincque traditum eſt. *in d. c. vni. §. firmiter De prohibet. feud. alienat. per Frederi.* vaſallum à domino ſuo in publicam expeditionem vocatum, tempore præfixo proprijs ſuis ſumptibus, & perſonaliter venire, vel alium idoneum nomine ſuo mittere: vel dimidium feudi ſui reditus vnius anni, domino ſuo ſubmini-

ministrare debere: aliàs feudo suo priuaretur. Hinc etiam constitutum est *in c. vnic. in 2. parte. De allodijs*, quod cùm Imperator publica expeditione indicta: Romam, coronæ Imperij consequendæ causſa proficiscitur: omnes eiusdem vasallos, siue in Germania, siue in Italia degentes: proprijs suis sumptibus, vel personaliter, vel per idoneum substitutum comitari: vel pro feudi sui quãtitate militiæ stipendia persoluere debere: aliàs feudo suo priuarentur. Suprascriptorum capitulorũ electionẽ vasallo cõcedendã, Doctores nostri existimârunt. *in d. l. firmiter*. Nisi fortè vasall⁹ in re militari, vel expediti consilij, vel magnæ experiẽtiæ fuerint: vel tã potẽs, tãtæq; nobilitatis vel authoritatis sit: vt ipsum in expeditionẽ perso-

personaliter euntem, plurimi comitaturi sint. *Andreas de Isernia. & Aluarott. in d. §. firmiter.* Si tamen feudi dominus territorij sui fines, cum militiæ copijs egredi vellet: non nisi domini sui sumptibus vasallus eum sequi teneretur: quod Aluarottus tradidit. *in d. c. vnic. De noua form. fidelit.* Iacobinusque, *in prædict. loco*, comprobauit. Nisi fortè inter dominum & vasallum, inuestituræ tempore, aliud specialiter conuentum sit. *arg. l. contractus. D. de reg. iuris.* Sanè si feudi dominus inops & pauper esset: atque bellorum ingruentiũ necessitate premeretur: hoc casu vasallus opulentus & diues, pecunia sua exercitum domino suo fouere teneretur. *Aluarott. & Præpos. in c. vnic. §. licet. Si de feud. defunct. content.* Sic in collocanda

etiam

etiam nuptui filia, vasallus opulentus & diues dominum suum, inopia & egestate pressum, iuuare teneretur. *arg.l.qui liberos.D.de ritu nupt.* Quam traditionem ad filiam spuriam extendendam nō esse Iacobinus rectius existimauit.*in tractatu suo*, *De feud.in verb. qui quidem inuestiti.in fine,arg.l.vxore.ϑ.patris naturalis. D.de legat.lib.3.* Etsi enim iure canonum filię spurię alimēta debeantur:*c.cum haberet. De eo, qui duxit in vxorem quam polluit per adult.* eaque ratione & dos ei debita videatur: attamen, non pro alimentorū quantitate, dos ei dari debet, quæ eiusdem patrem magnoperè grauare non potest. Cæterum ad domini filiā religionem profitentē,suprascriptam traditionem non extendendam esse, à fortiori argumento sumpto,

sumpto, putârim: *arg. c. inter corporalia. De translat. Epis.* quod & Iacobinus probauit: atque ex facto, sibi quondam proposito, se respõdisse retulit. *in prædicto loco.* Sanè si dñs, vel se, vel filiũ suum ad militiæ, vel Doctoratus insigne promouere pergeret: si dominiũ aliquod temporale, si terram, seu villam aliquam sibi comparare vellet: his casibus vasallo eidem subueniendum non esse, crediderim: quod & Ioannes Andreæ, *in addit. ad Specul. in tit. De feud. §. quoniam, circa finem. vers. & nota.* aduersus Speculatorem. *in d. vers. & not.* rectius sensit. falsum tamen est, vasallum in domini sui ab hostibus capti, redemptionẽ contribuere debere: si aliâs dominus, sine graui facultatum suarũ dispendio, & magna patrimonij

sui diminutione, se redimere posset: quod & æquum, & de consuetudine feudali: *c. vnic. §. porrò vers. item si delator. Quæ fuit prima causa benef.* Et Canonum disputationi. *c. cùm Apostolus. §. prohibemus. De censib.* consonum est. Cæterũ dominũ ex delicti à se perpetrati, vel æris alieni à se conflati causa compræhensum, & in vincula coniectum: vasallus pecunia sua liberare non tenebitur. *Iacobinus in d. loco, circa finem.* Sicuti nec ipsum debitis grauatum subleuare: id est, creditoribus debita persoluere, tenetur: nisi fortè propter ipsum vasallum huiusmodi debita contracta essent. *Aluarottus & Præpos. in c. vnic. §. licet. Si de feudo defuncti cõtent.* Dominus enim creditoribus pressus: & ære alieno grauatus: bonis cedendo sibi consule-

fulere poteſt. *l.1. C. qui bonis cedere poſſunt.* Proinde etſi regulariter vaſallus liberto equiparetur. *gloſſa antepenult. in c. vni. De milite vaſallo, qui cont. eſt, & gloſ. in verb. cum inimicis, in l. vnic. verſ. cum patronus. D. de offic. præfec. vrb.* ad liberti tamẽ exemplũ. *l.1. in fine. C. de operis libert.* vaſallus dominũ ſuum inopem, & exhauſtum alere non tenebitur: niſi fortè ex vaſalli facto inops factus fuerit: Quod aduerſus Speculatorẽ, *in tit. Qui filij ſint legitimi. §. j. verſ. ſed nunquid dominus.* Bartolum, *in l. alimenta. in 2. parte, in penult. quæſt. D. de liberis agnoſ.* atque Iaſonem, *in d. §. libertus.* Ioannes Andreæ tradidit. *in addit. ad Specul. d. verſ. Sed nunquid.* quod Aluarottus, communiterq; huius argumenti Interpretes, communi calculo probârunt. *in d. §. licet.*

Denique etsi libertus patronum suum in ius, sine Iudicis permissu vocare non possit. *l. quique litigãdi D. de in ius vocãdo. l. venia. C. eodẽ tit.* vasallus tamen dominum suum vocare poterit: quod aduersus Speculatorẽ. *in tit. De feudis. §. quoniam. vers. decimoseptimo quæritur.* Alexander, *in l. generaliter. D. de in ius vocand.* Baldus, Aluarottus & Præpositus rectiùs censuerunt. *in d. c. vnic. circa finem. De milite vasal. qui contumax est. arg. gloss. antepenultimæ ibidem.* Famosa tamen actione, vtputa de dolo. *l. non debet. D. de dolo malo.* atque etiam vnde vi Interdictio. *l. 1. §. interdictum. D. de vi & vi armata:* vasallus aduersus dominum suum experiri nõ poterit: sed eiusdem loco actionem in factum simplicem proponet. *arg. d. l. non debet. §. interdictum.*

quod

quod & gloſſa tradidit. *in d.c.vnic. De milite vaſallo qui cont.* & Speculator. *in d.verſ.decimoſeptimo quæritur. ibi, item. vaſalli*, communiterque probârunt: Igitur & ipſe recipio.

DE FORMA IVRAmenti fidelitatis. Cap. XI.

SAnè cauere debet feudi dominus: nè à vaſallo ſuo inſolitum, & in auditũ fidelitatis iuſiurãdum exigat: ne huiuſmodi iuſiurandum per vim, vel iuſtum metum extortũ credatur. *Baldus in c.vnic. Qualiter iura. debeat vaſall.* Præſtabitur ergo hoc iuſiurandum, ſecundum formam ab Oberto nobis traditam. *in d.c.vni. Qualiter vaſall. iurare deb. c.vnic. De form. fidelit. & c.vnic. De noua forma fidelit.* vel ſecundum

eam formam, quæ in præstandi iuramenti loco, contraria forsitan obseruatione, inoleuerit. In hoc autem fidelitatis iuramento hæc continentur: incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile, & postremò auxilium consiliumque. *d. c. vnic. De form. fidelitat.* Quæ quidem omnia in eiusdem præstatione nominatim exprimi debēt: si iurās simplex, & significationis nominis fidelitatis ignarus sit. *d. c. vnic. post princi. De no. for. fidelit. d. c. vni. in princip. Qualiter iurare debeat vasal. domino fidelitat.* Si verò eam cognitam habeat, suprascripta omnia generaliter, in hunc modum iurare sufficiet: Ego Titius vasallus ad hæc sacrosancta Dei Euangelia iuro: quod ab hac hora in posterum, vsq; ad vltimum vi-

tæ

tæ meæ diem, tibi Caio domino meo, contra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege, vel priori domino meo, fidelis ero. *d.c. vnic. in princ. De no. for. fidel.* Quæ autem sit suprascriptorum verborum vis, Obertus de Orto docuit. *in d.c. vnic. De forma fidelit.* Ex quibus rectè intellectis, satis colligere licet: suprascriptum fidelitatis iuramentum, seruitutis velut vmbram quãdam inducere: licet & vasallus non solùm ad suprà scripta: sed & alia quàm plurima domino suo teneatur: idque præter suprascripti iuramenti vinculum. Quæ omnia hoc loco recẽsere superuacaneũ esset: cùm ex eis nonnulla suprà retulerimus: reliqua verò infrà suis locis commodius tractabimus. Illud tamen in præsens sci-

re debemus: eum qui supraſcriptum fidelitatis iuramentũ præſtitit: dominum ſuum aduerſus ſeipſum defendere non teneri. *arg. c. petitio. & ibi gloſſ. final. De iureiuran. gloſſ. in verb. contra omnes, in c. vnic. ℣. finali, in fine. Hîc finit lex.* Quoniam in omnibus actibus, conuẽtionibus, & cõtractibus generalibus, loquentis perſona ſem per excepta intelligitur. *arg. l. inquiſitio, & ibi. D D. C. de ſolutionibus.* quod & Iacobinus probauit: atque ex facto ſibi quondam propoſitio, ſe reſpondiſſe, retulit: *in tractatu ſuo, De feud. in verb. qui quidem inueſtit.* Cùm ergo pater & filius vna eademque perſona, iuris interpretatione cenſeantur. *l. finali, in fine. C. de impub. & alijs ſubſtit.* patreſque magis filiorum ſuorũ, quàm proprię vitæ timeant. *l. iſti, verſ.*

verſ.pen.D.quod metus cauſſa. ſatis crederem, eam conſuetudinis legem obſeruandam non eſſe: *arg. c.fin.De conſuet.& final.* qua expreſsè ſcriptum eſt, vaſallum dominum ſuum aduerſus patrem, filiũ, aut fratrẽ, defendere debere. *d. c. vnic. in fine. in tit. Hîc finitur lex.* Nam id & ab eo Decalogi præcepto (habeas in honore parentes) & à lege naturæ alienum eſt. Ideoque nec eorum ſententiam recipiendam putârim: qui cenſent, *in d.c.vni in fine. Hîc finit. lex.* quod ſi vaſallus hîc dominum, illîc patrem in mortis periculo cõſtitutum videret: & alteri opem ferre poſſet, vtrique non poſſet: domino potius, quàm patri ſubueniendum eſſe: cùm id & naturæ vinculum tollat, & pietatem lædat. Adde & à Iacobino rece-

ptũ esse, *in tract. suo. De feud. in verb. & promiserunt, circa fi.* quodsi vasallus libertus sit, dñm suum aduersus patronũ defendere nõ obligatur: ne patronũ offendendo, tanquàm ingratus, in pristinã seruitutẽ detrudatur. *l. alimẽta. in 2. parte. D. de liberis agnoscẽd. arg. l. pen. & vult. C. de bonis libert.* Ergo & à fortiori idẽ in patre, vel filio vasallo, respectu filij vel patris, censendũ erit: Eamq; sententiã, & æquitas, & rationis dictamen expostulat. Deniq; nec aduersus aliũ quemuis, vasallus dominum suum defendere cogetur: si vel aduersa valetudine, vel ægestate laboret: vel alia iusta causa excusetur. *Iacobinus in d. loco.* Sed quid? an suprascriptum fidelitatis iuramentum per procuratorem præstari possit? Et non posse Baldus tradidit.

didit. *in l. 1. D. de rerum diuisi. & c. 2. in fine. De ordinar. cognit.* Eò quod, huiusmodi iuramentũ reuerentiam annexam habeat: quam personaliter, non per alium exhiberi debere putauit: Sed ipse sibi cõtrarius, posteà contra sensit. *in l. vnic. θ. ne autem. C. de caduc. tollend. & c. pri. Quo tempo. miles inuest.* Quam sententiam Aluarottus, alijque frequentiore calculo exceperũt: *in d. c. 1. Quo tempore miles. arg. c. vni. circa finem. vers. sed vtrum. Per quos fiat inuestit.* & rectè: Nimis enim graue esset: eum, qui ex iusta causa abesset: aut morbo, vel alio iusto impedimẽto detentus, dominum suũ personaliter adire non posset: per procuratorem hoc iusiurãdum præstare non posse. Procuratorem tamẽ ad hoc speciale mandatum habere oportet.

arg.

arg. c. final. De iurament. calum. lib. 6. Idemque & in vniuersitatis Syndico, Baldus respondit. *in d. cap. vnic. in fine vers. nulla. Per quos fiat inuestit.* Sanè si feudi dominus ex iusta causa motus, vasallum suum in suam præsentiam venire velit: vasallus personaliter venire debebit: nec dominus procuratorem ipsius, etiam speciale ad hoc mandatum habentem, inuitus admittere cogetur: quod Iacobinus rectè tradidit. *in tractatu suo, De feud. in verb. qui quidem inuestit. post princip.*

DE MVTVA DOMINI & vasalli obligatione.

Caput XII.

SEd cũ vasallum domino suo ad multa obstrictum, suprà tradiderimus: nunquid ex diuerso do-

so dominum vasallo obstringi dicemus? Et vicissim obstringi satis constat. Nam generaliter traditum est, dominum vasallo suo in his omnibus mutuam vicem referre debere: ad quæ vasallus domino suo obligatus est. Et si id non fecerit, meritò malefidum censeri. *d.c. vni. in fine. De form. fidel. c. de forma, in fine. 22. q. 5.* Hincque vulgò receptum est: *in d.c. vni. in fine, Hîc finitur lex.* dominum vasallum suum etiam aduersus parentes, liberos, & fratres defendere debere. *gloss. final. communiter approbata. Hîc finitur lex.* Adeò quidem, vt si ex vasalli parte, iusta vel offendendi, vel defendendi causa subsit: atque dominus à vasallo suo, vel specialiter, vel generaliter requisitus, ei opem ferre recuset, vel negligat, cùm possit: iure

sit: iure suo, id est, feudi proprietate priuetur: proprietasq; ad vasallũ trãseat: atq; cũ vsufructu, vtiliq; dominio cõsolidetur. Sicuti & vice versa, vasallus suo feudo priuaretur: si à domino suo, vt eum adiuuaret, admonitus: cũ posset, cumque iusta causa subesset, id facere recusaret, vel negligeret. *DD. in d. glossa penultima.* Traditũ namque est, dominum, qui eam feloniam commisit: per quam vasallus feudum amitteret, si eam commisisset, feudi proprietate priuari. *c. vni. Qualiter dominus proprie. feudi priue. c. vnic. §. final. in princip. Si de feudo defunct. content. sit.* Quæ quidem decisio etsi stricti iuris rigore aduersus dominos inuitatur: obseruãda tamen est: cùm expressè scripta inueniatur. *arg. l. perspexit. in fine princip. D. qui,*

qui, & à quibus manumiſs. niſi vel alibi contraria obſeruatione, vel ſpeciali vaſalli dominiq́ue conuentione, eidem derogatum ſit: Quod in vſu frequens eſt: licet nonnulli potentiores domini, potentia ſua ducti, ægrè admodùm eidem acquieſcere velint. Quid ergo? an ſicuti vaſallus domino, ita & viciſsim dominus vaſallo ſuo fidelitatem iurare debebit? Et non debere, Andreas de Iſernia, Aluarottus atq; alij tradidêre. *in d.c. vni. in fine. De forma fidelit.* quod & ipſe ſequor. Nam palam eſt, dominum patrono, & vaſallum liberto, æquiparari. *gloſs. in c. vnic. De milite vaſallo, qui cõtumax eſt. Bald. in l. liberti. C. de operis libertorum*: & tamen conſtat, patronum ob reuerentiam à liberto ſibi debitã, eidem calumniæ iuſiu ran-

randum præstare non teneri. *l. qui bona. §. penult. D. de damno infecto. l. iusiurandum & ad pecunias. §. qui iusiurandum. D. de iureiurando.* Ergo nec dominus ob reuerentiam à vasallo sibi debitam, eidem fidelitatis iusiurandum præstare tenebitur. Hincque Panormitanus censuit *in c. breui. De iureiurãdo.* dominum non nisi ex vrbanitate vasallo suo ad mutua seruitia teneri: non autem ex cõsuetudinis scriptæ necessitate: quam sententiam à veritate alienam esse suprà ostendi: Certum enim est dominum vasallo suo ad mutuam vicẽ ex consuetudinis scriptæ necessitate obligari. *d. c. vni. in fine. De forma fidelitat.* citra tamen iuramenti vinculum. Eaq; in re melior est domini conditio, quàm vasalli: sicuti & in eo, quòd sine

vasalli

vasalli sui consensu proprietatis ius, quod in feudo habet, alteri obligare posset. *gloss.* 1. *in d. c. imperialē. De prohibita feud. alienat. per Fredericum.* licet vasallus sine domini sui licentia, feudum suum nullo modo hypothecare possit. *d. c. imperialem, post princip.* quod Iacobus de Beluiso, Baldus, cęteriq; vno ore censuêre. *in d. c. imperialem. & d. gloss.* 1. Proinde feudi dominus proprietatis ius, quod in feudo habet, sine vasalli sui voluntate, Ecclesiæ conferre potest. *d. c. vnic. vers. si verò cõtigerit. De allodijs:* quãuis vasall⁹ sine domini sui venia, vtile suum dominum in, Ecclesiã transferre nõ possit. *c. vni. ver. Mediolanēses, ibi, idem potest. D. alienat. feud.* Denique si dominus vasallo suo, vel feudum aliquod ex doñi sui voluntate, vel aliam rem non

feudalē pignori obligatā tradiderit: vasallus fructus ex ea pceptos, vel qui percipi debuerūt, in sortē cōputare debebit. *l.1.& 2. C. de pignorat. actio. l.1. C. de distractione pignorū & c.1. De vsuris.* Verum si vasallus domino suo feudum ab eo receptū, hypothecæ iure concesserit: dominus fructus ex eo recollectos, in sortis diminutionem cōputare non tenebitur, *c.1. De feud.* quod ea ratione constitutum est: quoniam dominus, qui feudum à se quondam concessum, à vasallo pignoris iure recipit: eiusdem tam vtile, quàm directum dominium, ex vasalli sui voluntate habet. Et ideò fructus, quos ex ea re collegit, non ex re aliena, sed sua propria collegisse intelligitur. Vnde non mirum, si ipsos in principalis debiti diminutionem cō-

putare

putare non teneatur. Ex qua ratione colligere licet, Innocentij Tertij constitutionem. *in d.c.1.* nõ solum in feudo Ecclesiæ: sed ab alio quouis, vel à Clerico, vel à profano domino concesso: locũ sibi vindicare posse: quod Ponormitanus rectè tradidit. *in d.c.1.* cõmuniterq; receptum est. In summa, admonendi sumus, alia duo fidelitatis iuramẽta esse, per quorum alterum alicuius domini domestici, seu famuli eidem fidelitatem iurant: non quidem feudi ab eo recepti nomine: sed ea ratione, quod in eiusdem familiam recepti sint: in eaque fortè administrationem aliquam gerant. *d.c. vnic. vers. si verò Qualiter iura. debe. vasall.* Per alterum verò alicuius domini subiecti, eidem fidelitatẽ iurant: non quidem feudi ab eo

cõsecuti nomine, sed ea ratione quòd domicilij in eiusdem territorij siti nomine eiusdem iurisdictioni subsint. *d. vers. si verò. Qualiter iurare debeat vasall.* In quibus quidem iuramentis, iurans domini vitam, membrum, mentem, id est, eius arcana cælare: eiusdemque rectum honorem se conseruaturum nominatim asserit. *d. vers. si verò, in fine.*

LIBRI PRIMI.
FINIS.

DE

DE IVRE FEVDORVM GVLIELMI HANNETONII LIBER SECVNDVS: E MANVSCRIPTIS EXEMplaribus iam recens in lucem prolatus: opera & studio Ioannis Hauichorstij Monasterienſis.

DE PRAESCRIPTIONIBUS *rerum feudalium*

Caput I.

INueſtitura verâ, vel eo, quod pro vera inueſtitura habetur feudum acquiri: ex ſuperiorib. ſatis cõſtat. *c. vnic. in fine. De feud. cognit. cap. vnic. in princip. De cõſuetud. rect. feud.* Abuſiua verò inueſtitura nõ itẽ. *c. ex ore verſ. qua verò. De his quæ fiũt à maiori parte Capit.* licet & ea quoque feudum conſtitui poſſe, ex

superioribus colligere liceat. Acquiritur feudum & triginta annorum præscriptione. Nã si quis triginta annorum spacio rem aliquam, vt feudum possederit: & seruitia domino exhibuerit: quãuis de ea nunquam inuestitutus fuerit: triginta tamen annorum præscriptione eam acquisiuisse dicetur. *c. vnic. §. si quis. Si de feud. defuncti content.* Nec in hac præscriptiõe seruitia singulis annis prẽstari oportet: sed ea semel prẽsta esse sufficit: dummodo triginta annorum tempus in posterũ subsequatur. *arg. d. §. si quis. vers. seruitium.* Et si fortè triginta annorũ spacio completo: circa rem præscriptam controuersia suboriatur: vasallum, qui eam præscripsit, iurare non oportet, quod eã tanquàm feudum, suprascripto tempo-

tempore possederit. Nisi fortè statim ab initio eam pignoris iure possidere cœperit. *c. vnic. post princip. De vsu Mediolanens. secundum quosdam.* Quinimò & eo casu, si de pignoris titulo manifestè constaret: nec legitimè probari posset, per subsequentem inuestituram pignoris titulum immutatum: atque rem pignoris iure primùm cõcessam, in feudi causam posteà conuersam esse: nullo, quantumuis diuturno, tempore feudi præscriptionem induci posse, crederem. Cùm constet neminem possessionis causam sibi mutare posse, *l. qui bona. 6. 1. D. de acquir. possess.* & in rerum feudalium, sicut non feudalium præscriptione, bona fides ad præscriptionem necessaria sit. *arg. c. final. De præscript.* Sed quid si dominus eiusdem nomi-

ne p tringinta annorũ ſpaciũ, ſeruitia ab aliquo receperit: tãquã is fũdus feudalis eſſe cũ feudalis nõ ſit: antea re feudalis effect⁹ eſſe dicetur? Et feudalẽ factũ Bald. *in d. l. ſi quis*, atq; Speculator, *in tit. De feudis §. quoniã ver. tertio quær.* rectiſsimè exiſtimârunt. Ex quib, oĩbus colligere licet: dnm, qui rẽ feudalem, tanquã liberã triginta annorũ ſpacio, ſine interpellatiõe aliqua poſſederit: ea poſſeſsione, eius rei libertatem præſcripſiſſe: eaque prę ſcriptione eiuſdem vtile dominium cum directo conſolidatum eſſe: quod Baldus & Prę poſitus meritò probârunt. *in d. l. ſi quis.* Quæ quidem omnia in feudis ſecularibus, atque priuatorũ vera ſunt: Cæterùm in feudis ab Eccleſijs, & Rebuſpublicis receptis: quadraginta annorum ſpacium

cium ad præscriptionem necessarium esse, Andreas de Isernia, atque Aluarottus rectissimè tradiderunt. *in d. §. si quis. arg. Auth. quas actiones & ibi gloss. in verb. excludun tur. C. de sacrosanct. Eccles.* Sed cùm aliæ res immobiles non feudales decem vel viginti annorum tempore præscribi possint. *l. finali. C. d. præscript. longi temp. §. final. Inst. de vsucap.* quamobrem triginta annorum spacium, ad rerum feudalium præscriptionem necessariũ est? *d. §. si quis.* Id in causa esse arbitror, quòd rerum feudalium præscriptio durior, maioriſque præiudicij sit. Nam per eam vasallus domino: & vice versa dominus vasallo, ad multa obstringitur: quod suprà suo loco satis demonstraui.

DE IN-

DE INTESTATA VAsalli defuncti Descendentium successione. Cap. II.

FEudum quoq; successione acquiritur. *d.c.vnic. De feud.cog.in fine c.vni. De consuetu.rect.feud.* eaq; vel testata, vel intestata. Sed quãuis testata successio ad conseruãdã adimplendãq; testatoris volũtatẽ, intestatæ successioni præferatur. *l. quãdiu 2.D. de acquir.hæred.* quia tamẽ in feudis intestatæ successiõis ius prægnãti⁹, potẽtiusq; q̃ testatæ est: ideò de ea primo loco,& de testata secũdo loco verba facere cõstitui. Vt itaq; intestatæ feudorũ successionis ius,confusa decisionũ varietate à Doctoribus nostris obũbratũ,clari⁹ elucescat: circa ipsum certas cõclusiones,cũ suis ampliationibus, restrictionibusq;, eo ordine, quẽ intestatæ suc-

ſucceſsiõis natura expoſcit, ſubijciã. Vnde imprimis ſciendũ eſt, antiquã feudorũ originẽ, vel nullam, vel tenuẽ admodũ ſucceſsionẽ habuiſſe. Nam ſtatim ab initio originis feudorũ, in dñi feudum concedẽtis poteſtate fuit: feudũ cõceſsũ quãdocunq; vellet, precarij inſtar, reuocare. Deĩde vſu inoleuit, vt per annum integrum feudum ſemel conceſſum, firmitatem haberet. Poſteà verò eo vẽtum eſt: vt ad recipientis vitam perduraret. Proindeq́ue receptũ, vt ad eos vaſalli filios, quibus id beneficij feudi dominus conceſſiſſet, deueniret. Et poſtmodum temporis tractu inductum eſt: vt ad omnes vaſalli filios maſculos, inteſtata feudi ſucceſsio æqualiter pertineret. Poſtremò verò lege à Conrado Imperatore promulgata,

mulgata, ad nepotes ex filijs masculis hoc ipsum productũ fuit. *c. vni. §. 1. in princip. De his qui feud. dare possunt.* Hęc quidem, vt nihil antiquitatis ignoretur, relata sint. Quid autem hodie in inteſtata feudorum ſucceſsione obtineat, videamus: Et quia in feudorum, ſicuti aliorum hominum, ſucceſſione liberorum cauſa prima & potiſsima eſt: ideò circa ipſorũ ſucceſsionem hîc pro regula primùm trado: quod nempe hodie omnes liberi maſculi: id eſt, defũcti vaſalli filij nepotes ex ijſdẽ, & ex nepotibꝰ pronepotes: reliquique ex maſculis deſcendentes, vſque in infinitum inteſtatæ ſucceſsionis iure ad feuda recta & vera, ſiue antiqua ſint, ſiue noua ſuccedant: *c. vni. in princip. De ſucceſsione frat. & gradib. ſucced. c. vnic. in prin-*

in princip. De succeſs. feud. c. vni. in princip. de natura ſucceſs. feud. Quæ quidem regula, cum eo moderamine intelligenda eſt: vt qui inter vaſalli defuncti liberos, in proximiori gradu fuerint: cæteris in remotiori gradu exiſtentib. in feudi ſucceſsione preferantur. *arg. d. c. vni. in princ. De ſucceſs feud.* Atque in parentis defuncti feudum æqualiter ſuccedunt: *d. c. vni. in princip. De ſucceſsion. feudi.* etiamſi in reliquis eiuſdem bonis, ex inæqualibus partibus, hæredes inſtituti ſint. *Baldus in l. vt iuriſiurã di verſ. ſi liberi. D. de operis libert.* Nec ſupraſcriptis obloquitur, q̃ nepotes ex filio præmortuo nati & relicti: vnà cum patruo, vel patruis ſuis ſuperſtitibus, in aui defuncti feudo, inæqualiter ſuccedant. *arg. d. c. vni. De ſucceſs. feud.* Nã

id eâ

id eâ ratione contingit: quoniam in supraſcripto caſu, nepotes non proprio, ſed repræſentationis iure ſuccedunt, id eſt, patris ſui præmortui loco: Ideoque non niſi illam feudi portionẽ cõſequi poſſunt, quoniã eorundem pater ſi ſuperſtes eſſet, conſequeretur. Nam ſi ſuperſtes eſſet, ad nullã prorſus feudi portionem admitterẽtut. Quia ipſe eos vno gradu præcederet: atque per conſequens à feudi auiti ſucceſsione excluderet. *D D. in d.c. vni. in princ. de ſucceſs. feudi*. Vt autem ſupràſcriptæ regulæ locus ſit: non referre Baldus & Aluarottus exiſtimârunt: *in d.c. vni. An agnat. vel filius defuncti*. in parentũ poteſtate liberi ſint, an emancipati. Eos tamen naturales & legitimos, ſtatim ab ipſo natiuitatis tẽpore,

pore, esset oportet. Nam si legitimi tantùm essent: ad feudorũ successionem non admitterentur. *d.§. si quis vers. adoptiuus. Si de feudo defuncti.* Nec etiam vel soli, vel cum alijs admitterentur, si naturales tantùm essent: licet in posterum Principis rescripto legitimi facti essent. *d.§. si quis. vers. naturales.* Quod verum intellige, nisi Princeps in suo rescripto expressè eum, & ad feudi quoque successionem, legitimum feciſſet. *glossa & DD. in d. vers. naturales.* Nam vbi de Principis contra ius rescribentis voluntate, ex aliqua clausula in rescripto, expressè cõstat: ea imprimis sequenda est. *DD. in l. rescripta. C. de precib. Imp. off.* Cæterum filij naturales tantùm: qui subsequentis matrimonij vi legitimi facti sunt: tam ad feudorum,

rum, quàm aliorum bonorum ſucceſsionem pleno iure vocantur. *c.1.& c.tanta eſt vis. Qui filij ſint legiti. l.cùm quis. C.de naturalib.liber.* Cùm enim magnus ſit matrimonij fauor: eiuſdem effectum ampliari potiùs: quàm reſtringi conuenit. *Ioannes Andreæ & Panormitanus, in d.c.tanta.* Verũ cùm Principis, filium naturalem legitimãtis, reſcriptum, iuris communis diſpoſitionem impugnet: tãquam odioſum, meritò reſtringi debet. *d.l.reſcripta, & l.finali. C.ſi cõtra ius vel vtilit. pub.* quamdiu de contraria Principis reſcribentis voluntate, expreſsè conſtare nõ poteſt. *D D. in d.l.finali. & d.verſ.naturales.*

EX

EX QVIBVS CAVSSIS *filij naturales et legitimi à paterni feudi succeſsione excludantur.*

Caput. III.

Adde etiam filios naturales & legitimos, à feudi ſucceſsione nonnunquã excludi. Vt ſi ex matrimonio ad morganaticam, id eſt, ea lege contracto, vt filij ex ſecunda coniuge minus nobili naſcituri: patri in id tantummodò ſuccedãt, quod ab eo matrimonij tẽpore expræſſum fuerat. Tales enim filij, etiã prioribus filijs defunctis, in feudum nullo modo ſuccedunt: nec in alia bona non feudalia, illis exſtantibus: ſecus eis defunctis. *c. vni. De filijs natis ex matrimonio ad morganat. d. θ. ſi quis verſ. mulier.* Quæ quidem morganatica pactio, etſi ratione atque iuris ciuilis autho-

ritate improbetur. *arg.l.pactum.C. de collationib.* attamen & iureiurãdo firmari: & longo vtentium vsu recipi potest. *arg. c. quamuis, De pactis lib. 6. d.c. vni. §. si facta, vers. filij. Si de feudo defuncti* contẽtio *sit.* Et ideò, si eius loci, in quo inita est cõsuetudo, eidem suffragetur, valebit: *d. vers. filij, in fin.* aliâs verò non itẽ. *arg. d.l. pactum.* Quia dura atq; odij plena est. *D D. in d.c. vnic. De filijs nat. ex matrimonio ad marganat.* Deinde si vasalli defuncti filius naturalis & legitimus, patre adhuc viuente, feudi dominum offenderit: nec ante patris sui mortem, de offensa domino satisfecerit: in mortui patris feudum nõ succedet. *c. imperialem. §. final. iu princip. De prohib. feudi alienat. per Fred.* Idemque censendum erit: si vasalli defuncti filius naturalis & legitimus,

timus,in vasallum patrem suum eam ingratitudinem exercuerit: vt eius nomine, ab omnibus eiusdem bonis,iustè & legitimè exhęredatus sit. *arg. Authent.vt cum de appellat.cognosc.§.aliud quoque.* Præterea,si vasalli defuncti filius naturalis & legitimus à natura, vel mutus,vel surdus, vel cœcus, vel claudus,vel mancus, vel aliâs imperfectus sit: à feudi paterni successione excludetur. Quia propter naturę impedimentum,domino suo seruitia debita præstare non posset.*c.vni.An mutus,vel aliâs imperfect.c.vnic.§.finali vers. mutus, Episcopum,vel Abbatem,vel Abbatiss.& DD.ididem.* Idemque & ego suprascripta ratione motus censerem:si defuncti vasalli filius successionis tempore, suprà scriptos defectus ex accedenti pate-

retur. *arg. d. verſ. mutus, generaliter loquentis.* Si tamen vaſalli defuncti filius, propter ſuprà ſcriptos defectus à feudi paterni ſucceſsione excluſus egêret: vt quia eiuſdem pater nulla allodialia bona poſſederit, ad quæ ipſe ſuccedere poſſit: vel ſi quæ pater poſſederit, tã exigua ſint: vt illis commodè ſe alere non poſsit: pro perſonę ſuę qualitate & feudi vel opulentia, vel tenuitate, ex eiuſdem fructib. alendus erit. *d. verſ. mutus, poſt princip. & DD. ibidem.* Sed quid an filius, vel nepos clericus vnà cum fratribus ſuis laicis, vel ſolus, patri, vel auo in feudum ſuccedere poſsit? Et poſſe iuris canonum, *in c, in præſentia De probatio.* & iuris ciuilis interprætes, *in Authent. ingreſs. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* communiter reſponderunt: ſi per idoneũ ſub-

ſubſtitutum feudi domino ſeruire, ſe paratum offerat *gloſſ. in verb. ſuccedere. c. vnic. De feudo fœmin.* Cũ enim vaſallum etiam laicum, per ſubſtitutũ domino ſuo acceptabilẽ ſeruire regulariter ſufficiat. *d. c. imperialem. §. firmiter, in princip.* Ita & ſi Clericus diuinis miniſterijs præpeditus: domino ſuo perſonaliter ſeruire non poſsit: attamen per alium idoneum hoc poterit: Ideoque ad feudi, ſicut aliorum bonorum ſucceſsionem, *l. final. §. 1. C. De Epiſc. & cleri.* admittẽdus videtur: Præſertim, ſi feudũ paternũ, ſeu antiquum ſit: in quo perſonæ induſtria electa non videtur. Quã ſententiam, tanquàm communem, pleriq; ſecuti ſunt. *arg. c. ex tranſmiſſa. c. verum. De foro competen. c. vnic. §. final. De cap. Corradi.* Eamq; tã in Germania, quàm

Gallia, vsus recepit. *Ioannes Fabri. in §. vn. Instit. de legit. patron. tute.* Verum Cardinalis. *in d. c. vn. §. 1. De his, qui feud. dar. poss.* Iacobus de Beluiso. *in d. c. vn. §. si quis decesserit. De feudi defunct.* Andręas de Isernia, *in d. c. vn. in fine. De feud. fœmin.* Baldus, *in d. §. si quis per triginta. vers. qui Clericus.* Aluarortus, *in d. vers. qui Cler.* Bartolus, *in l. Si finita §. si de vectigalibus D. de damno infect.* & alij quâplurimi. *in prædictis locis.* in contraria sententia fuerunt: atq; existimârunt, Clericum etiam in feudum paternum nullo modo succedere posse. *d. c. vni. vers. ex hoc. De feud. fœm. d. c. vnic. in fine. An mutus, vel aliàs imperfect.* Quam sententiam & Bartholomeus à Cassenæo probauit. *in Consuetud. Burgundiæ, in tit. De feudis. §. 5. in verb. exceptis. vers. prædicendum:* eamque ipse sequor.

sequor. Cùm enim vasallus clericatus superuenientis ratione, feudo anteà quæsito ex continenti priuetur. *d. vers. qui clericus. c. vnic. De vasallo milite, qui arma belli deposuit.* à fortiori & clericatus anteà adeptus eum impediet: quominus feudum anteà non quæsitũ, per successionem acquirere possit. Nec huic sententiæ refragatur, quod clericum etiam suo nomine feudum recipere posse, suprà traditum est. *c. vni. ℓ. final. De c. Corradi. d. c. ex transmissa. & dicto. c. verum.* Quia dominus, qui clerico cuius cõditionẽ exploratã habet, feudũ cõcedit: personę ipsius industriã nullo modo respicit: sed ei tacitè cõcedit, vt cum ipse reb. diuinis occupatus, seruitia debita personaliter præstare non possit: ea per idoneũ substitutum præ-

ſtet. *Andræas de Iſernia. in c. vnic. in fine. De feudo fœmin.* At in feudis à clerici parentibus anteà quęſitis: ſtatim ab initio perſonę ipſorum induſtria electa eſt. Cùm ergo Clericus rebus diuinis occupat⁹: ſeruitia debita perſonaliter præſtare non poſsit: *c. vnic. in fine. De vaſſallo milite, qui arma.* nec ea per ſubſtitutum idoneum præſtare poteſt. *argu. d. c. vnic. in fine. An mutus, vel aliàs imper.* Nam, vt eleganter Baldus tradidit, communiterq; receptum eſt: *in c. vni. De milite vaſſallo, qui contumax eſt,* illi ſoli vaſalli per idoneum ſubſtitutum ſeruire poſſunt: qui, ſi vellēt, nullo vel naturæ, vel iuris impedimento obſtāte, per ſe ſeruire poſſent. Nec ſuprà ſcriptis iuribus ad hāc noſtram ſententiam euidētibus, Iacobini, *in tractatu ſuo. De feudis,*

in

in verb. & quibuſcunque hæredibus, in fine, reſponſio ſatisfecit: qui ait aut vaſallum ſuperuenientis clericatus ratione feudo ſuo priuari: atque clericum in feudum paternum ſuccedere nõ poſſe: cum per idoneum ſubſtitutum, feudi domino ſeruire recuſat: vel feudum, quo de agitur, tale eſt, vt ſubſtituti ſeruitium non admittat. Ea namque reſponſio, ſuprascriptorum iurium diſpoſitionẽ, in nimias anguſtias deducit: atq; eorundem expreſsis verbis repugnat. *d. verſ. qui clericus, in verb. hoc ipſo. D. verſ. ex hoc, in verb. nullo modo.* Quapropter inſpectis feudalium placitorum traditionibus, hanc noſtram ſententiam veriorem eſſe putârim: licet cõtrariam pluribus in locis vſu receptã eſſe non inficiar. Admonendi tamen

sumus, hanc nostram sentẽtiam, non nisi in feudis rectis, & veris, atque clericis in maioribus ordinibus constitutis, locum sibi vindicare posse: Nã in feudis ab omni seruitio liberis: atque in simplicis tonsuræ clericis, contrariæ sententiæ locum esse: omnes, qui in hac nostra opinione fuerunt, vno ore fatentur, *in d. vers. qui clericus. & d. vers. ex hoc.* Monachos autem tam conuersos, quàm in sacris constitutos, parẽtibus suis in feudum non succedere: sine controuersia receptum est. *in d. c. in præsentia, & d. Authent. ingressi. argum. d. vers. qui clericus. d. vers. ex hoc. d. c. vnic. De vasall. milite, qui arma. bellic. depos.* Ne feuda Monasterijs acquiri. *d. Authent. Ingressi.* atque ea occasione ad dominos, præter eorundem voluntatem, nun-

nunquam regredi contingat. *arg. c. vnic. versic. Mediolanen. in fine. De alienat. feudi.* Postremò liberi naturales & legitimi, qui parentum hæreditatem ex testamento, vel ab intestato sibi delatã repudiant: à feudorum, tam antiquorum, quàm nouorum succesione excluduntur. Quia ex quo feudorum commodum petunt: hæreditatis onus, ex dictamine rationis, subire debent. *d. c. vni. An agnati, vel fili. defunct.* Quam quidem sententiam traditionemque veram esse, Iacobus de Beluiso, *in c. vni. De eo, qui sibi, vel hære.* Andræas de Isernia, atque Aluarottus, *in d. c. vni. An agnat. vel filius*, censuerũt: si vasallus pro se & hæredibus suis, feudum receperit: vel de eo simpliciter inuestitus fuerit. Eo namque casu pro se & hæredibus

suis

ſuis ipſum recepiſſe creditur. Sin autẽ vaſallus pro ſe & filijs ſuis, feudum conſecutus eſſet: repudiata parentum hæreditate: filij huiuſmodi feudum retinere poſſent. Quia non vt hæredes, ſed vt filij principaliter ex domini concedentis voluntate, ipſum conſequerentur: quod Baldus atque Aluarottus tradidêre. *in d.c.vnic. An agnat. vel filius.* Ex quo colligere licet, eam filiam, quę dote contenta, ſucceſsioni paternæ aſſerto iureiurando renuntiauit: *d.c. quamuis.* ad illius feudi ſaltem ſucceſsionẽ admittendam eſſe: quod eiuſdem pater pro ſe, & filijs ſuis maſculis & fœminis receperit. Quoniam non vt hæres principaliter, ſed vt filia ipſum conſequi cupit: quod Aluarottus & Præpoſitus elegantiſsimè tradidêre.

didêre. *in d. c. vni. An cognat. vel filius.* Idemque in filio, qui asserto iureiurando, studiorum, vel alia caussa impellente: patris successioni renunciauit, recipiendum esse, eadem ratio dictat.

DE NOMINE HAEREdis quousq; *in feudi successione porrigatur. Cap.* IIII.

IN præsenti autem argumento, hæredis appellatione, imprimis descendentes in linea directa existentes: & proindè, illis deficientibus, collaterales continẽtur. Extranei verò hæredes non itẽ: etiam si quis de feudo pro se & hæredibus suis quibuscunque, inuestitus fuerit. Ea namq; generalia verba in inuestitura expressa: ad eas tãtùm personas, quæ ex feudalium placitorum

rum disposítione, ac intestato ad feuda succedunt, restringenda esse, Iacobinus ex facto sibi proposito respondit: latiusque compro bauit. *in prædicto loco*. Nã si ad extranëos hæredes extenderentur: feudum cõcessum nunquam ad dominum reuerti contingeret. Nemo enim sine extranëo hærede facilè moritur: cùm & fiscus vltimo loco admittatut. *l. 1. C. vnde vir & vxor.* Si cui tamen pro se & hæredibus suis, & eo quibus dederit, feudum concessum fuerit: & aperta domini concedentis voluntate, feudũ taliter adeptum: etiam in extranëos, vel actu inter viuos, vel vltima voluntate transferre poterit: quod Iacobinus rectè tradidit. *in prædicto loco*. Adde etiã, in præsenti argumento, non omnes indiscriminatim descendentes,

dentes,& collaterales hæredis ap pellatione venire: sed eos solos, qui masculi sunt,atque ex masculis descenderunt. *c. vni.θ.simil. vers. profectò. De leg.Corradi.* Nam ad nepotes ex filia, vel pronepotes ex neptę,&sic deinceps,feudi succes sio non pertinet. *d.c.vni.vers.ad filias.De succeſs.fratrum.* Illud etiam hoc loco omittendum non est: in prętenti argumento, filiorum appellatione omnes descendentes masculos,&ex masculis natos comprehendi. *d.c.vni.vers.& si clientulus,& ibi gl.in verbo,reuertittur. ibi,sed instabit. De alienat. feudi.* Si quoque parentes sibi primò: deinde ex interuallo filijs suis de aliquo feudo prouidissent per nouam nempè inuestituram, ipsis adhuc superstitibus, filijs de eo feudo factam: dubium non esset, quin

quin repudiata parentum hæreditate, filij huiusmodi feudũ consequi possent: idque ex tacita parentum suorum voluntate. *Baldus, in d.c.vni. An cognat.vel fil.* Adde & filium, qui à patre suo ex re certa, vel certis rebus institutus est, fratribus suis, vel alijs extranẽis vniuersaliter institutis: eam, vel eas res, ex quibus hæres scriptus est, repudiare posse: atq; nihilominus per successionem feudorum paternorum ab eo pro se, & hæredibus suis receptorũ, portionẽ consequi. Nam si ipse rem, vel res in patris testamento sibi relictas amplecteretur: ex patris tamen voluntate, nullo hæreditario onere grauaretur: quia legatarij loco haberetur. *d.l.quoties. C. de hæredibus instituend.* Hincq; Baldus à fortiori argumento sumpto,

pto, rectè intulit: *in d.cap.vnic. An agnat.vel filius.* filium patris testamento pręteritum, ad feudorum paternorum succesionē nihilominus admitti: quamuis, cùm posset, per inofficioſi quærelam, vel contra tabulas bonorum possessionem, patris testamentum nō impugnârit atq; ruperit. *arg. l.filio præterito vers.final. De iniusto rupt.& irrit.fac.test.* eoque nomine defuncti patris hæreditatem tacitè repudiasse videatur. Idemque & de filio, qui patris testamento iniustè exhæredatus, eidem acquiescit, respondendum est. Nam hodie præteritio & exhæredatio æquiparantur. *Auth.extra eam,& Authent.Licet.C.de lib.præter.exher.* Proinde ad feudi auiti succesionem nepotem admittendum, rectè existimauit *in.d.c.vnic. An agn.*

vel filius: etsi patri præmortui hæreditatem antè repudiârit. Quia non aui, de cuius succesſione agitur, ſed patris præmortui hęreditatem repudiauit. Denique ſi defuncti vaſalli filius, agnatis conſentientibus, de feudis paternis tanquam nouis ab eorundem dominis inueſtitus fuerit: etiam patris defuncti hæreditatem repudiando, ea ſine aliquo onere hæreditario retinere poterit. *d.c.vnic. An agnat. vel filius*. Ideò autem agnatorũ conſenſus ad eam rem neceſſarius eſt: quoniam, niſi paternorum feudorum inueſtitura, in ſupraſcriptum modum renouata eſſet: ſtatim defuncti hæreditate repudiata, ipſa ad eiuſdẽ agnatos deuolueretur. *d.c.vni. An agnat. vel filius*: eſſetque caſus, in quo defuncti agnatus, filio excluſo, ad

so, ad feudi defuncti succesionē admitteretur: sicuti & cum vasallus delicti à se perpetrati ratione feudo suo priuatur. Tum enim eiusdem agnati, filio in huiusmodi feudi succesione præferūtur. *c. vnic. Si vasall. feud. priuaretur. cui deferatur.* Nisi fortè delictū perpetratum tale sit, ob quod etiam agnati feudi succesione priuarentur: de quo infrà latiùs agemus.

DE INTESTATA ASCENDENTIUM & COLLATERALIUM SUCCESSIONE. CAP. V.

QVod autem ad vasallì defuncti ascēdentes, eorundemq; succesionem attinet: secundæ regulæ loco respondeo: Eos, deficientibus descendentebus, in feudo nullo modo

ſuccedere poſſe. *c. vnic. in princ. De natu. ſucceſs. feudi.* Si enim feudũ, de cuius ſucceſsiõe agitur, paternum, vel antiquum ſit: patrem filio, vel auum nepoti, & ſic deinceps ſuccedere impoſsibile eſt: cùm feudum paternum, vel antiquum à patre, vel auo in filium, vel nepotem, & ſic deinceps defluat. Sin autem nouum fuerit, vaſallo, qui ipſum recepit, ſine liberis maſculis decedente, neq; eiuſdem patri, auo, proauo, & ſic deinceps vlteriori aſcendẽti, nec eiuſdem agnatis defertur: ſed ſtatim ad dominum ipſum regredietur. *c. vni. verſ. his vero. ibi, ſi enim De ſucceſsione fratr.* licet in alijs bonis non feudalibus iure ſcripto aliud diſpoſitum ſit. *l. nam etſi parẽtibus, in princip. D. de inofficioſ. teſtamen. Authent. vt cum de appellat. cogn.*

cognosc. & *siue igitur.* Cæterũ si quis feudũ de nouo acquirat. ipsumq; acquisitum post mortẽ ad filium suum, iuteſtatę ſucceſsionis iure, transmittat, eumque filium in posterũ sine descendentibns mo ri contingat: hoc casu tale feudũ, vasalli defuncti agnatis exclusis, ad eiusdem auum, proauum, vel alium vlteriorem ascendentem, inteſtatæ ſucceſsionis iure deuolui debere, indubitanter credide-rim. *Si* quoque pater, vel auus adhuc superstes, in filij, vel nepotis fauorem feudo suo renunciârit: posteaque feudo sibi quæsito, filius, vel nepos sine descendentibus præmoriatur: eo casu feudũ paternum vasalli defuncti agnatis exclusis, ad eiusdem patrem, vel auum potius reuerti Præpositus tradidit. *in d.c. vnic De vasallo decr.*

decrepitæ.ætatis. Cùm enim istis casibus, facti impossibilitas adscendentium successioni non reluctetur: ergo nec iuris impossibilitas reluctari debebit. Iam verò ad collaterales veniẽdo, circa ipsorum successionem imprimis scire oportet: quod statim ab initio originis feudorum, vltra fratrum filios (quos fratres patrueles vocamus) eorũdem successio non deferebatur. Deinde vsu receptum est, vt vsq; ad septimam gradum inclusiuè deuoluerentur. *d.c.vnic. §. hoc quoque in fine. De succeß. feudi.* Postremò obtinuit, vt vsque in infinitum extenderentur. *d.c.vni. §. 1. vers. hoc quoque, sciendum. De his, qui feud. dare poss.* Vnde pro tertia regula trado: Quod hodie feudũ paternum, vel antiquum, id est, feudum, quod in acquirentis descen-

scendentes masculos semel deuolutum est: vlterioribus descēdentibus deficientibus, intestatę successionis iure, in eos collaterales, tam ascendentes, quàm descendentes masculos, & ex masculis descendentes vsque in infinitum deuoluetur: idque secundū prærogatiuam vnicuique gradui iure concessam. *d. vers. hoc quoque. c. vnic. vers. hîc verò. De succes. fratrū, vel grad. succ. c. vnic. in fine princip. De natu succes. feud. d. c. vnic. in fine. Si vasal. feudo priuetur.* Quæ quidē traditio vsq; adeò vera est: vt etiā si quis vasalli defuncti agnatus in remotissimo, vel etiam centesimo, si possibilè esset, lineæ collateralis descendentium gradu existat: nec eum in gradu alius agnatus præcedat: defuncto vasallo in feudum iure succedere possit:

quod Angelus, *cōsilio suo* 106. atq; Iacobinus. *in tractatu suo De feudis in verb. præsentes et recipiētes in prin.* tradiderunt communiterque receptum est. Licet Andreas de Isernia, *in d.c. vnic.* θ. 1. *De his, qui feudum dare poss.* atque Baldus, *in Authent. defuncto. C. ad Senatusconsult. Tertullianum*, improbabiliter contrà senserint. Idemque & in regnorum successione constituendum, Aluarottus rectè censuit. *in c. vn. vers. si capitanei. De feud. Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus.* Ex quibus colligi potest, in intestata feudorum successione, inter eos, qui de latere veniunt, fratrum caussam primam & potissimam esse. Et ideò quamdiu defuncti vasalli fratres supersunt, illi soli ad feudi successionem vocantur: nisi fortè ex fratre præmortuo nepotes extent.

Nam

Nam hi vnà cum patruis superstitibus, ad patrui defuncti feudũ in stirpes succedunt: idque repręsentationis iure, id est, in patris sui loco succedendo. *d. vers. his verò.* quemadmodum in alijs bonis non feudalibus succedunt. *Authent. Cessante. C. de legiti. hæred.* Cæterum an in feudorum, sicuti aliorum bonorum successione, fratres ex vtroque parente fratri defuncto cõiuncti, vel eorũdem filij, fratres suos ex vnico tantùm parente fratri defuncto coniuncti (quos fratres consanguineos, vtputa patri appellamus) excludantur, meritò dubitari posset. *arg. d. Anth. cessante, post princip. Authent. post fratres. C. de legitimis hæredibus.* Sed non excludere Baldus, Aluarottus, *in d. c. vnic. De succeß. fratrum.* atque Iacobinus. *in*

prædicto loco, rectè putârunt: atq; ex facto deciso retulerunt. Quoniam in successionibus feudalibus cognationis ius (quod eiusdē matris ratione inter fratres contrahitur) nil prodest. *d. vers. ad filias. in d. c. vnic. De succeß. fratrū.* sed solū agnationis ius, quod ab eodē patre procedit, sufficit: Et ideo fratrem superstitē (qui fratri defuncto in feudum succedere cupit) ab eodem patre procreatum esse satis est: etsi ex eâdem matre progenitus non sit: non autem è contra. *d. vers. filias, Bald. in l. 1. C. de legit. hæred.* Sin autem nulli defuncti vasalli fratres extent: sed soli præmortuorum fratrum filij supersint, patruo suo defuncto in feudo omnes simul succedent: etiamsi ex vno fratre præmortuo plures ex alio verò pauciores filij

extent

extent. *d. verſ. hoc quoque ſciendum, in princip.*

DE SVCCESSIONE IN *capita & in ſtirpes. Cap.* VI.

SEd an in hoc caſu in ſtirpes, an in capita ſuccedere debeant, ſubſiſto. Verùm cum in feudalibus placitis hoc expræſsè deciſum non ſit: in eo id ſequendum erit, quod iure ſcripto tantùm inuenitur, *argumen. cap. vnico, verſ. ſtrenuus. De feud. cognit.* An igitur iure ſcripto duorum, vel pluriũ fratrum prę-mortuorum filij: patruo defuncto in ſtirpes, an in capita ſuccedant, videndum eſt. Eos in ſtirpes ſuccedere, Accurſius *in d. Authent. Ceſſante, in gloſſ. 1. in fine. & l. lege tabula gloſſ. final. C. de legiti. hæred.* tradidit. *arg. §. ſi autem, verſ. illud palam.*

cum

cum θ. seq. Auth. de hæred. ab intestat. venien. Cuius opinionem non solùm iuris scripti Interprætes *in d. Authent. Cessante, & d. l. lege. duodec. tab.* sed & istius quoque argumenti scriptores, vtputa Baldus, Alua rottus, *in d. cap. vnic. De succes. feud.* Andreas de Isernia, *in d. c. vnic. De succes. fratrum.* atque Iacobinus, *in prædict. loco*, in bonorum feudalium successione communiter receperunt. *arg. Authen. post fratres. 2. C. de legiti. hæred.* Cæterum Azo, *in Summa sua. in tit. De legit. hæred.* Accursius, *in θ. hoc etiam, in verb. superstites, in fine. Instit. de legit. agnat. succes.* atque Baldus, *in d. Authent. cessante* sibi contrarij, Hostiensis, *in sua Summa, in tit. De succes. ab intestato. θ. viso igitur, vers. quid si fratrum.* Iacobus Butrigarius, atque Salycetus, *in d. Authent. cessante*, con-

contrà censuerunt: crediderunt-
que fratrum præmortuorum fi-
lios, patruo suo in capita succe-
dere. *arg. §. si igitur, & §. seq. ibi. quan-
doquidem in d. Authent. de hæred. ab
intestato ven.* Quam sententiam &
Zazius quoque secutus est, lateq;
defendit in singularibus suis in-
tellectibus. *in c. incip. tribus fratri-
bus.* Eamq; ipse recipio. Cùm tam
Pandectarum, *in l. post consangui-
neos, in princip. vers. hæreditas. D. de
suis & legitimis hæredib.* quàm In-
stitutionum, *in d. §. hoc etiam, in fi-
ne*, & Codicis iure, *in d. l. lege duo-
decim tabul. in fine*, comprobatur:
Nec ea iura ab Authenticis cor-
recta, probari possint. Nam quod
traditur, post fratres, fratrumq;
filios in stirpes succedi. *D. Authen.
post fratres. 2. d. §. si verò, in princip. in
d. Authent. de hæredib. ab intest. ven.*

de illis

de illis fratrum præmortuorum filijs intelligitur: qui vnà cum patruo superstite, patruo defuncto succedunt: non de illis, qui nullo patruo superstite, vnà cum fratribus patruelibus, auo defuncto succedunt: Quod ex ipsius Authenticæ contextu, *in d. §. si verò.* manifestè constat: in quo ad antecedẽtia expressa fit relatio: nec in antecedentibus vlla filiorum fratrum inter se succedentium, mentio ostendi possit. *d. §. si igitur, & d. §. si autem.* Secundum ergo ipsius Authenticæ cõtextum, alius contextus inde transsumptus, & ab Irenerio in Codicem relatus. *in d. Authent. post fratres. 2.* interpretandus atque intelligendus est. Adde nullã probabilem differentiæ rationem reddi posse: cur alio iure fratrum filij inter se: alio

se: alio iure fratrum nepotes succedant: Et tamen fratrum nepotes in capita, non in stirpes inter se succedere, omnes vno ore fatentur. *in d. Authen. post fratres.* Ergo idem & in fratrum filijs recipiendum erit. *d. vers. hæreditas.* Nec huic sententiæ obloquitur, quod fratrum filij, qui in tertio collateralium descendentiũ gradu existunt, patrui defuncti, patruo, amitæ, auunculo & materteræ in æquali gradu existentibus, præferantur. *d. vers. illud palam.* Id enim non ea ratione contingit: quod fratrum filij in parentum suorũ locum succedant: sed ob id, quod sicuti in linea recta, *l. scripto hærede in fine. D. vnde liberi:* ita & in linea collaterali, successio faciliùs in gradus inferiores: quàm superiores deuoluitur.

tur. Nec etiam huic sententiæ repugnat: quod duorum plurium. úe filiorum præmortuorum nepotes: vel plurium præmortuorum nepotum pronepotes, & sic deinceps: auo suo, vel proauo in stirpes, non in capita inter se succedant. θ. *fin. in fine. Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. Authen. in successione. C. de suis & legit. hære.* Id enim eâ ratione constitutum est: quoniam repræsentationis ius in lineæ directæ descendentibus, à secundo gradu vsque in infinitum locum habet: In transuersalibus verò etiam descendentibus, non item. Nisi cum proprijs thijs, id est, patruo suo, amita, auunculo, vel matertera: patruo amitæ, auúculi, vel materterę defunctis succedant. *d. θ. si igitur, in fine, & θ. seq. ibi. quando quid. d. Authen. cessante, in prin-*

princip. Eiusque differentiæ ratio esse potest: quia descendentes in linea directa existentes arctioris sanguinis vinculo ascendentibus in eâdem linea existentibus obstricti sunt: quàm descendentes in linea collaterali existentes ascẽdentibns in eâdem linea existũt. Relinquitur itaque duorum pluriúmue fratrum præmortuorũ filios patruo suo in capita, non in stirpes succedere: ità, vt patrui defuncti hæreditas inter eos, secundum personarũ numerum, diuidatur: nõ secundũ eas portiones, quas eorundem parentes consequerentur, si superstites essent. Hancque sententiam superioribus annis Carolus V. Imperator in Comitijs Ratispone, lege promulgata, firmauit: adeò vt hodie suprascriptæ disputationi locus

non sit. Cum ergò supraſcripta noſtra ſententia vera ſit, idem & in duorum pluriúmue fratrum præmortuorum filijs amitæ ſuæ defunctæ ſuccedentibus, cenſendum erit. Idemque recipiendum & in duarũ pluriúmue ſororum præmortuarum filijs, materteræ ſuæ vel auunculo ſuo defuncto ſuccedentibus. Nec etiam intererit, an ex ſolis fratribus, vel ſolis ſororibus prę̃mortuis: an partim ex fratribus, partim ex ſoribus præmortuis filij extent. *arg. d. §. ſi verò. in Authent. de hæred. ab inteſt. ven.* Cum ergo hæc omnia ex iuris ſcripti diſpoſitione vera ſint, conſequẽs eſt, vt aſſeramus, duorum pluriúmue fratrũ præmortuorum filios maſculos patruo ſuo defuncto in feudis, ſicuti in alis bonis non feudalibus, in capi

ta,

ta, non in stirpes succedere. *arg. d. vers. strenuus.* Licet diffiteri nõ possim, in pluribus locis vel contraria obseruatione vel municipali lege huic nostræ sententiæ tam in feudis: quàm in bonis allodialibus derogatum esse. §. 9. *in tit. De succeß. in Consuetudine Burgundiæ.* Cùmque ex iuris scripti dispositione certum, & indubitatũ sit: fratrum nepotes, reliquosq; collaterales descendentes in bonis allodialibus patruo suo magno, reliquisque collateralibus ascendentibus in capita tantùm succedere. *d. Authent. post fratres 2. d. vers. Si verò Bart. in d. vers. hæreditas.* Idẽ meritò & in feudorum successione constituemus. *in d. vers. strenuus* quod & Iacobinus probauit. *in prædicto loco, in fine.* Sed cùm iure scripto expressè cautum sit, in bo

nis allodialibus descendentes in linea directa existentes, à secundo gradu in infinitum ascendentibus in stirpes succedere. *d. Auth. in successione. & l. nepotes. C. de suis et legit. hæred.* Idem & in bonorum feudalium successione respõdebimus: cùm feudalia placita in solis defuncti vàsalli filijs successionis æqualitatem constituerint. *d.c. vnic. §. 1. in fine princip. d.c. vnic. in princip. De succes. feudi.* Sanè & si filios, retẽto feudo, patrum hæreditatem repudiare non posse, suprà tradiderim: defuncti tamen vasalli agnatus hoc potest. *d.c. vni. An agnat. vel fil.* Eiusque differentiæ rationem esse puto: Quia filij patribus suis tam arcto sanguinis vinculo coniuncti sunt: vt iuris interprætatione vna eademque persona esse credantur. *l. finali. in fine*

fine.C.de impub,& alijs subſtit. Ideoque pietatis ratio eos inuitos impellit: vt ſi feudum paternum cõ ſequi velint, eorundem hæreditatem adire cogantur: ne patres ſine hærede decedentes, à creditoribus hęreditarijs iniuria affician tur. Verùm defunctorum vaſallorum agnati, eiſdem tam arcto ſanguinis vinculo cõiuncti non ſunt. Ideoq; eorundem hæreditate repudiata, ſine aliquo onere hæreditario feudum paternum conſequi,& retinere poſſunt. *d. c. vni. in princip. An agnat. vel fil. c. vnic. §. ſimiliter, verſ. filius. De capitan. qui cur. vendid.* Quam ſententiam veram eſſe arbitror, etiamſi feudũ, de quo ageretur, à primo acquirente, pro ſe & ſuis hæredib. quibuſcunque acquiſitum fuiſſet: licet Iacobus de Beluiſo, Andræas

de Isernia, & Aluarottus contra censuerunt. *in c. vni. De eo, qui sibi, vel hæred.* Sed quid si agnatus iuuẽ tario facto, vasalli defuncti hæreditatem adierit: an vsque ad bonorum tam feudalium, quàm allodiariũ vires à creditoribus hęreditarijs conueniri poterit? Et non posse videtur: quoniam bona allodialia nõ succesionis, sed proprio iure consequitur. Ego tamen contra censerem respectu saltem fructuum ex bonis feudalibus perceptorũ: non ipsorum bonorum feudalium, quæ alienari non possunt, vt suo loco ostendam. Nam vulgò receptum est. *in d. c. vni. An agnat. vel filius defunct.* filium defuncti vasalli adita etiam in suprascriptum modum patris hæreditate, vsq; ad bonorũ etiam feudalium vires creditoribus

bus hæreditarijs teneri: Ergo & agnatus tenebitur, suoque priuilegio tum demũ frueretur, cum vasalli defuncti hæreditatem repudiârit. Nam vt constat etiam hoc casu ex feudorum fructibus ab eo receptis & relictis, debita hæreditaria persolui. *d. c. vni. post princip. An agnat. vel fil.*

DE SVCCESSIONE *collateralium in feudis, beneficijsque nouis* Cap. VII.

ENimuerò ad noua feuda collaterales non succedunt, Nam si is, qui feudum nouum acquisiuit sine filijs vel nepotibus ex ijs, alijsque descendentibas masculis, moriatur: feudum de nouo quęsitum ad dominum, qui ipsum concedit, regreditur. *d. c. vni. l. 1. vers. sin autem.*

De his qui feudum. c. vnic. verſ. is verò ibi. Si enim Titij. De ſucceſs. fratrum. c. vnic. De benefic. fratr. Quæ quidem traditio vſqueadeò vera eſt: & etiamſi duo fratres plurésue ſimul, vel vna, vel duabus inueſtituris de nouo feudo inueſtiti fuerint: alter tamẽ alteri non ſuccedat. *d. c. vnic. verſ. ſi duo. De feud. March. Ducatus vel Comitatus. c. vni. in princ. De fratrib. de no. benefic. inueſt.* Quamuis itaque alicuius rei, vtputa caſtri, donatione à Principe duobus vel pluribus cõmuniter facta: vnius ex eis poſteà ſine filijs, vel alijs deſcentibus moriẽtis portio, reliquis rei donatę ſocijs ex ſpeciali beneficio accreſcat, *l. vni. C. ſi liberalit. Imper. ſocius ſine hæred. deceſs. lib.* 10. In feudis tamen nouis, etiam à Principibus duobus pluribúsue fratribus cõceſsis,

cessis, illi⁹, qui sine hærede descẽdente decesserit, portio reliquis, fratribus nõ accrescet. *arg.d.vers.si duo, in princip. d.c. vni. in princip. De fratrib. de nouo benefic. inuest.* Idemque à fortiori censendum erit: si duobus pluribúsue extanẽis feudum à Principe concessum sit: si tamen statim ab initio inter feudi dominum & fratres feudum nouum recipientes, expressè & nominatim conuenisset: vt alter alteri sine hærede descendente & masculo decedẽti succedat: dum ex lege conuẽtionis domino excluso frater superstes fratri defuncto in noui feudi portionem succedet. *d. vers. Sin autem. d, vers. Si duo, in fine. d.c. vnic. ℣. finali, in fine. De succes. feudi.* Idemque erit, si feudum nouum à fratribus in militia acquisitum fuerit. *d.c. vnic.*

in fine. De benefic. frat. Idem etiam respõdebitur, si feudum duobus fratribus, vel pluribus de nouo concessum indiuisibile sit. Vt si iurisdictio patronatus, ius venandi, ius piscandi, vel aliud ius incorporale, & per consequens indiuisibile, in feudum concessum sit: quod Iacobus de Beluiso, Baldus atque Aluarottus indiuiduitatis feudi ratione probârunt. *in d. c. vni. de fratrib. De nouo benefic. inuest.* Hoc tamen casu fratrem superstitem, ad quem fratris defuncti portio deuoluta est, eiusdemque æstimationẽ feudi domino præstare oportet. Ei namque in hoc satis fauetur: quòd æstimationẽ portionis fratris defuncti feudi domino præstando, integrũ feudum retinere possit. Quamuis enim antiquitùs non improbabiliter

biliter dubitatum fuit. *in gloss. in d.c.vni. De fratr. de no. benefic. inueſt.* an ſupraſcripto caſu feudi dominus fratri ſuperſtiti portiõis ſuæ æſtimationem offerendo integrum feudũ ad ſe reuocare poſſit? Poſteà tamen benigniori ſententia receptum eſt, vaſallum domino ſuo portionis fratris defuncti æſtimationem offerendo, eidem in feudũ retentione præferri, tum feudi ſemel recepti ac poſſeſsi, tum vaſalli debitoris fauore. *DD. in d.c.vnic. De frat. de no. benefic. inueſt.* licet obtinuerit, & certis viciſsim caſibus feudi dominum portionis fratris ſuperſtitis ęſtimationem offerendo, in feudi reuocationem eidem præferri debere: vt ſi ſolius fratris prę̃mortui contemplatione feudum vtrique fratri cõceſſum fuerit:

rit: vel si portionis vacantis ius pinguius sit, quàm fratris superstitis: vt Iacobus de Beluiso, Andræas de Isernia, atque Aluarottus tradiderunt. *in d. c. vni. De frat. de no. benefic. inuest.* Illud tamen sciendum est, fratrem superstitem, fratris defuncti portionem supràscripto modo redemptam, iure feudi non possidere: nisi idipsum expressim conuentũ fuerit, *Aluarottus iam dic. loco.* Si quoque feudum nouum duobus fratribus, vel pluribus & singulis in solidum concessum fuerit, domino excluso: alter alteri non decrescendi iure succedet, id est, eo iure, ne fratri superstiti aliquid decrescat. *Bald. in d. c. vnic. De succes. feudi.* Verùm in alijs suprascriptis casibus, successorio iure frater fratri succedit: id est, eo iure

re, quo de ordine in ordinẽ, vel de gradu in gradum defuncti hereditas defertur. *l.* 1. ϑ. *quibus. D. de succeſſ. edict.* Cum enim defuncti vaſalli deſcendentes non extant, liberorum ordine ſeu capite relicto, ad agnatorum ordinẽ, ſeu caput feudi ſucceſsio deuoluitur. In quo ſimiliter ſi fratres nõ extant, fratrum gradu relicto, ad fratrum filios, & ſic deinceps feu di ſucceſsio tranſmittitur. Iuri autem accreſcendi in feudis tum locus erit: cùm vaſallus pluribus filijs, vel alijs ex eis deſcendentibus: vel his deficientibus, pluribus fratribus, vel alijs ex eis deſcendẽtibus relictis, mortuus eſt. His enim caſibus, ſi vnus filiorũ vel fratrum portionẽ ſuam feudalem repudiet, vel morte, vel alio impedimento præpeditus eam

eam non amplectatur, reliquis amplectentibus ipso iure accrescet. *arg. l. vnic. in fine & DD. ibidem. C. quando non petent. part. petent. accres.* Cæterùm si statim ab initio duobus pluribusúe feudum nouum concessum fuerit, inter eos iuri accrescendi locum non esse, *Speculator, in tit. De feud. 8. quoniam. vers. trigesimo sexto quæritur*, atque Panormitanus, *in c. 2. ext. De feudis*, rectè putârunt. In contractibus enim iuri accrescendi locum non esse regulariter Bartolus. *in l. si mihi. D. de verbo. oblig.* atq; Alexander, *in l. re coniuncti. D. de legat. lib. 3.* tradiderũt. Ergo nec in contractu feudali erit: præsertim cũ tum demum vero iuri accrescendi locus sit, cùm ille, de cuius portione per ius accrescendi consequenda agitur, in ea nullum adhuc

huc ius quæsiuit: vt quia eã nondum est amplexus. Nam postquàm ius in ea quæsitũ est, non iuri accrescendi, sed iuri accessorio propriè locus est. *Speculator d. vers. decimosexto quæritur. DD. in d. l. vni. & d. l. si mihi. D. de verbo. oblig.* Prætereà si feudum nouum à fratre ex cõmunibus bonis acquisitum fuerit: idque feudi domino sciente, eo viuente, eiusdem frater pro parte ipsum sibi acquirat. Eo verò defuncto ad ipsius successionem domino excluso admittetur. *arg. d. c. vni. in fine. De benefic. fratris.* Ideò autem in hoc casu domini scientia exigitur, ne forte ipse inuitus alium, quàm voluerit vasallum sibi acquirat. Et ideò si communi pecunia domino id ignorante feudum emptum fuerit, neque emptore viuente,

uente, neq; eo mortuo feudum emptum ad eiusdem fratrē pertinebit. *d. c. vnic. in fine. De frat. de no. benefic. inuest.* Quamdiu tamen frater feudum supraſcripto modo acquirēs, id quod in eam rem de communi expendit, alteri fratri pro competenti parte non reſtituerit: feudi acquiſiti fructus eidem communicare tenebitur. *d. verſ. ſi duo, in fine, & verſ. ſequenti, in fine.* etiamſi eidem non cohabitet: quod aduerſus Gloſſæ atque Aluarotti ſententiam, *in d. verſ. ſin autem, in verb. nominatim*, Germaniæ conſuetudo recepit. Deniq; ſi communi collateralium nomine, feudum nouum quæſitum ſit: collaterales ad eiusdē ſucceſſionem admittentur. *d. c. vnic. in fine. De benefic. fratr.* Sed quid, an his caſibus, quibus collaterales

ad

ad feuda noua ſuccedere ſupra comprobauimus, in infinitum eorũdem ſucceſsio extendetur? Et ad ſeptimum vſque gradum tantùm incluſiuè eorũdem ſucceſsionem his caſibus extendendam, Iacobus de Beluiſo, Baldus, Aluarottus atque alij putârunt, *in c. vnic. §. hoc quoque, in fine. De ſucceſſ. feudi.* Verùm ego ſupraſcriptis caſibus, feudi noui ſicuti paterni, vel antiqui ſucceſsionem vſque in infinitum hodie extendendam arbitror. *d. c. vnic. §. 1. verſ. hoc quoque ſciendum. De his, qui feudum. d. c. vni. in fine. De natur. ſucceſſ. feudi.* licet quõdam ad ſeptimum vſque gradum tantùm extendebatur. *d. §. hoc quoque. in fine.*

DE FOEMINARVM *in feudis ſucceſsione. Cap.* VIII.

QVid autem de fœminis dicemus? an in feuda succedãt? Et pro regula traditum eſt, quod quamuis ex iuris ſcripti diſpoſitione fœminæ, vt maſculi, in bonis allodialib⁹ ſuccedant: *Authent. in ſucceſſione in fine. C. de ſuis & legit. lib. Authent. de defuncto in fine. C. ad S. C. Tertull.* attamen ex conſuetudinis feudalis lege fœminæ in feuda nõ ſuccedunt. *d. c. vni. §. 1. verſ. hoc autem notandum. De his, qui feudum dare poſſ. d. c. vni. §. fin. in princip. De ſucceſſ. feudi. c. vni. verſ. ad filias. De ſucceſſ. fratrum. c. vni. in princip. De natur. ſucceſſ. feudi.* Idq; propter ſexus muliebris fragilitatem. *c. vnic. in fine. An mutus, vel aliàs imperfect.* non ſolùm in corporis, ſed & ingenij quoque viribus conſiſtentem. Et ideo & ſi fingas mulierem corporis

poris robore præcellere, atque ad arma tractanda idoneam esse: eo tamen nomine in feudū non succedet. Quia cū imbecilli consilij sit. *c. forus. in fine. De verborum signifi.* feudi dominum consilio iuuare, secreta sibi commissa retinere, atque alia multa in fidelitatis iuramento contenta, commodè explicare non poterit: Quod Iacobinus aduersus Iserniam, *in d. vers. hoc autem sciendum*, rectè tradidit, *in tract. suo, in verb. & fratris.* Vindicat autem suprascripta regula sibi locum, etiamsi quis pro se & hæredibus suis feudum recepisset. *argu. c. vnic. §. similiter. vers. profectò. De lege Corradi. c. vni. vers. & si clientulus, in fine. De alienat. feudi.* Vindicat etiam sibi locum in feudo ad seruitia non astricto: vt quia inter feudi domi

num & vasallum statim ab initio conuenit, ne eius feudi nomine aliqua seruitia præstarentur. *arg. d. vers. hoc autem notandum, & d. §. finali, in princi.* Nam licet in huiusmodi feudo seruire necesse non sit: alia tamen, quæ in fidelitatis iuramento continentur, nec fœminis conueniunt, explicanda sunt: quod Iacobinus, *in d. loco*, aduersus Baldum *in. §. 1. circa finē, De his, qui feudum dare poss.* probabiliter censuit, eique accedo. Si tamen feudum, de quo ageretur, verè Francum esset, id est, ab his omnibus, quæ fidelitatis iuramento continentur, liberum: Baldi atq; sequacium sententiæ locus esse posset. In huiusmodi enim feudo fidelitatis iusiurandum præstandum non esse, certum est. In feudo etiam ex domi-

ni

ni voluntate exempto supraſcri ptam regulam locum ſibi vindicare, Andræas de Iſernia exiſtimauit, *in d. verſ. hoc autem notandum, arg. eiuſdem, & d. θ. final. in princip.* Cuius opinionem Alardinus de Laude, *in d. c. vni. De his, qui feudum dare poſſ.* atque poſt eum Iacobinus, *in prædicto loco*, aduerſus Odofredum, *in Summa feudali, in tit. Qui poſſ. ſucced. in feud. recepit.* atque ſecundum eam ex facto quondam emerſo iudicatum retulit, quam & ipſe ſequar. Nam licet feudum emptum ſit: eo tamen nomine feudum eſſe non deſinit, nec allodiale fit. Si quis tamen feudum ea lege emiſſet, vt pro eo cenſum annuum penderet: Odofredi ſententię locum eſſe, atque ad huiuſmodi feudi ſucceſsionem fœminam admit-

tendam putarem. Quia huiusmodi emptio priorem feudi naturam immutaret: ipsumq; censuale faceret: Eoq; nomine non feudi, sed contractus vi fœmina succederet: quod Baldus, *in c. significante. De rescriptis*, atque Iacobinus, *in prædicto loco*, probârunt. Denique suprà scripta regula adeò vera est, vt non solùm fœminæ, sed nec masculi ex eis descendentes in feudum succedere possint. *d. vers. hoc autem notandum.* Cæterùm si statim ab initio inter feudi dominum & vasallum expressè & nominatim conueniſſet: vt etiam fœminę in feudum concessum succederẽt: tum ex lege conuentionis fœminæ atque ex eis descendentes, tam fœminæ quàm masculi in huiusmodi feudum succedent.

d. vers.

d.verſ.hoc autem ſciendum.d.§.finali. in princip.d. verſ.ad filias.d.c.vnic.in princip. De natu.ſucceſſ.feudi. Et tametſi capitula iuramenti fidelitatis mulieribus non conuenire, ſuprà comprobauimus: non tamen erit quod dominus cõqueratur: cùm ſibi imputare debeat, quod de fœminarum ſeruitijs, earundemque iureiurando contentus fuerit. *Aluarottus in d.c.vni. De eo, qui ſibi, vel hæred.ſuis maſcul.* Quod verum intellige, ſi quis pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis de feudo aliquo inueſtitus fuerit. Verùm ſi in inueſtitura expreſsè actũ fuerit: vt Titia vaſalli acquirẽtis filia in feudum cõceſſum ſuccedet: ipſa quidẽ ſuccedet, nó aũt deſcendentes ex ea. Quoniã pactũ perſonale, perſonam non egreditur. *l.ſi vnus.§.ante*

omnia. D. de pactis. Proinde si feudum, de quo ageretur, maternũ, id est, matri pro se & hæredibus suis concessum esset: tum etiamsi id specialiter pactum nõ esset, matris filiæ, nepotes atq; neptes ex eis, & sic deinceps succedent. *c. vni. in princip. De feudo fœmin. d. c. vnic. in princi. De natur. succeß. feudi.* Quia qualitas fœminea statim ab initio huiusmodi feudo indita durat, quamdiu de filiorum extantium obstaculo non constat: quod Baldus, Aluarottus, atq; Præpositus, aduersus Glossam, *in d. c. vnic. in princip. De feudo fœmin.* atque Andræas de Isernia, *in c. vni. An marit. succed. vxori,* tradiderunt: communiterque receptum est *in c. vni. in princip. De feudo fœmin.* Prætereà si defuncti vasalli filia feudum paternum, vel anti-

antiquum à domino redemerit: vel dominus benignitate & munificentia ductus eam propter patris benemerita & amorem de feudo paterno, vel antiquo tanquam nouo inueſtiuerit: ea ratione filia ipſum conſequeretur: nec feudum paternum, vel antiquum defuncti vaſalli filię ſuprà ſcripto modo quæſitum, à defuncti vaſalli parentibus, id eſt, agnatis reuocari poterit: ſi in eam redemptionem, vel quaſi nouam inueſtituram agnati conſenſerint. *c. vnic. Quemad. feud. ad fil. pertin. d. c. vni. θ. final. poſt princip. De ſucceſſ. feudi. c. vni. in fine. An agnat. vel fil.* Si verò non conſenſerint, poterit feudum paternum, vel antiquum ab eiſdem reuocari, atq; filia ad eiuſdem reſtitutionẽ condemnari. *c. vnic. θ. hoc quoque. De ſuc-*

ceſs.feud.c.vnic.in fine. De alienat.pa ter.feudi. Quid ergo, an fœminæ ex ſpeciali pacto in feudum ſecundum ſupraſcripta ſuccedentes, vnà cum maſculis extãtibus ad feudi ſucceſsionem admitti debebunt? Et admitti debere certum eſt: ſi ſtatim ab initio inter feudi dominum & vaſallum hoc expreſsim conuenerit. *arg. l. contractus, verſ. ſocietas, in fine. D. de regu. iuris:* vel ex inueſtituræ verbis manifeſtè colligi poſsit, tam feudi dominum, quàm vaſallum id voluiſſe. *Baldus in l. quoties. D. de ſuis & legit. hæred.*

FOEMINAE, MASCVlis extantibus, à feudi ſucceſsione excluduntur. Cap. IX.

VErùm ſi vaſallus ſtatim ab initio ſibi, & hæredibus ſuis maſcu-

masculis, atque his deficientibus fœminis feudi inuestituram accepisset: dubitatio nulla esset, quin masculis extantibus fœminæ ab huiusmodi feudi successione excluderentur: *arg. c. vnic. in principio. De eo, qui sibi, vel hæredibus suis masculis.* Idemque etiam si vasallus sibi & hæredibus suis masculis & fœminis, feudi inuestituram accepisset. *c. vni. θ. quoniã, Epis. Abbat. vel Abbatiß.* Quamuis enim copula. Et, eius naturæ regulariter sit, vt æqualiter coniungat: in hoc tamen concessionis & receptionis feudi negotio ipsam non æqualitatem: sed successionis ordinẽ denotare, communi sententia receptum est. *c. vni. De eo, qui sibi, vel hæred. suis. arg. d. θ. quin etiam, & d. θ. fin.* Idque propter masculorũ prærogatiuam,

con-

consuetudinis feudalis lege ipsis iusta ratione cõcessam: quæ contrahẽtium pactionibus non tam facilè tolli creditur. Feudo ergo in suprascriptum modum concesso, & recepto: fœminę in eiusdem feudi successione locus nõ erit: quamdiu ex eo, qui de feudo primùm inuestitus fuit, aliquis masculis, siue in directa, siue in collaterali linea constitutus, atque etiam remotissimo gradu situs supererit. *d.c. vni. vers. cumq; sapientes. De eo qui sibi, vel hæred. suis.* Idemque etiam in feudo fœmineo censendum erit: ad cuius successionem fœmina similiter nõ vocabitur, quamdiu aliquis masculus extabit. *d.c. vni. in princip. De feud. fœmin.* Quapropter si vasallus filio, & filia relictis, decedat: filius ad feudi successionem admit-

mittetur, filia verò excludetur. Idemque erit, si vasallus duas filias reliquerit, quarũ vna filium, altera filiam habuerit. Nam filius solus, qui & vasalli defuncti nepos est, filia excluſa, inteſtatæ ſuccesſionis iure totum feudũ consequitur. *d. c. vni. §. similiter in prima parte. De Capitan. qui curiam vendidit. & ibi gloſſa, in verb. maſculus.* Idem quoq; erit, si vasallus duos masculos reliquerit, quorũ vnus filium, alter verò filiam habuerit. Hoc namque casu mortuis filijs, filius solus, filia excluſa, ad totius feudi ſucceſsionem vocabitur. *d. §. similiter, in fine primæ partis, ibi. & ècontra, ibique gloſſa in verb. ſi filios.* Denique idem erit, si vasallus vna tantùm filia ſuperſtite, & hærede relicta moriatur: quæ in posterum duobus filijs ex marito ſuo

to ſuo procreatis, deceſſerit, quorum vnus filiũ, alter verò filiam reliquerit. Hoc enim caſu filius vnicus ſuperſtes, patrui ſui filia ſuperſtite excluſa, totum feudũ inteſtatæ ſucceſsionis iure ſibi vendicabit: quia maſculus eſt, atque à primo acquirente defluxit. Nec eum impediet, quod huiuſmodi feudum ad fœminam ſemel deuolutum eſt. *d.c. vni. De eo, qui ſibi, vel hæred. in prima parte, & gloſſa ibidem.* Idem per omnia reſpõdebitur, ſi ſupraſcripti vaſalli primi acquirentis filia filium & filiam ſuſtuliſſet: atque ex eo filio nepotem. Hoc enim caſu filio mortuo, nepos amitam ſuam à feudi ſucceſsione excludet: cùm eiuſdem mater, ſi ſuperſtes fuiſſet eam excluſiſſet, quod Gloſſa tradidit, *in d.c. vnic. De eo, qui ſibi, vel*

vel hæred.ibi. nunquid. atque Aluarottus, Præpositus, & Iacobinus *in prædicto loco* probârunt. Sed quid, si suprà scripta vasalli primi acquirêtis filia, duas reliquisset filias, quæ in matris defunctæ feudum pro æqualibus portionibus successissent: vt quia nullum masculi superstitis impedimentum passæ fuissent: an posteà altera sorore filio masculo relicto, mortua: is filiꝰ superstes materteram suam superstitem à feudo intestatæ successionis iure anteà pro parte quæsito, repellere poterit? Et posse Andræas de Isernia, *in d.c.vni. De eo, qui sibi, vel hæred.* putauit: Quasi sub ea tacita cõditione matertera feudi portionem, intestatę successionis iure, consecuta sit: si in posterum nullus masculus nasceretur. Sed

in

in contrariam ſententiam Iacobus de Beluiſo, Baldus, Aluarottus, *in d.c. vnic. De eo, qui ſibi, vel hæredi*, atque Iacobinus in tractatu ſuo. *De feud. in verb. & fœmina, in fine*, iuerunt, communiterq; receptum eſt. *d.c. vnic. De eo, qui ſibi, vel hæred.* Quam & æquiorem, & iuris tam ſcripti, quàm non ſcripti traditionibus inſpectis, verio rem eſſe putârim. Cum enim femel materteræ in portione ſua feudali ius legitimè quæſitum ſit, ſine ſuo facto eo priuari non poteſt. *l. quod noſtrum. D. de regul. iuris.* cum id ius purè & ſimpliciter, ſine aliqua conditione ex legitima ſucceſsione acquiſiuerit. Quod ergo diximus, fœminas maſculo extante à feudi ſucceſſione excludi: locum ſibi vendicat in feudo acquirendo non autem

tem acquisito perdendo. Quia à iure acquirendi faciliùs quis repellitur: quàm iure iam quæsito priuaretur. *arg. l. patre furioso. D. de his, qui sui vel alieni iuris sunt.* In feudo quoque conditionato, id est, ad certum seruitium astricto. *d. c. vnic. §. finali, in fine. De Capitan. qui cur. vend.* suprascriptæ regulæ locum non esse, Iacobus de Beluiso, Baldus, Aluarottus, atque alij tradiderunt, *in d. §. quin etiam:* si in huiusmodi feudi inuestitura expressè actum fuerit, vt per fœminam, vel alium eiusdem nomine, sicuti per masculum seruitium expressum & determinatum prestari posset: Nec mirum, cum hoc casu ex expressa domini concedentis atque vasalli recipientis voluntate, fœmina vnà cum masculo ad huiusmodi feu-

di succesſionem vocetur. Et ideò ſi in huiuſmodi feudi inueſtitura nulla fœminæ mentio facta fuerit, ſupraſcriptæ regulæ ſtandum erit. Proinde ſi duo fratres de nouo beneficio pro ſe & hæredibus ſuis maſculis & fœminis inueſtiti fuerint: atque alter ex eis, altero adhuc ſuperſtite, vna filia relicta deceſſerit: eiuſdē portio filiæ, non fratri, defertur. *c. vni. De duob. fratrib. à capit. inueſtit.* Ex quo enim feudum ſtatim ab initio duobus ſimul conceſſum fuit: quiſque meritò ſuis deſcendentibus potius, quàm collateralibus conſuluiſſe creditur. *d. c. vni. De duobus fratrib.* Et ideò inueſtitura duobus fratribus generaliter facta, in duas ſingulares inueſtituras reſoluitur: cenſeturq; primùm vni fratri ſpecialiter facta,

cta, deinde alteri: atq; ita vtriusque hæredibus specialiter prouisum fuisse. Denique si alibi consuetudo inoleuerit, vt fœminæ vnà cum masculis extantibus ad feudi succesionem admittãtur: ea specialis consuetudo generali feudorum consuetudini derogabit. *arg. c. vni. De feud. cognit.* atque eiusdẽ vi fœminæ vnà cum masculis in feudum succedent: etiamsi vasallus defunctus pro se & hæredibus suis masculis & fœminis de huiusmodi feudo inuestitus non fuisset. Idemque erit, si alibi hoc ipsum expressa municipali lege cautum sit. *argu. l. omnes populi. D. de iustit. & iure.* Illud tamen notandum, specialium locorum statuta & consuetudines feuda concernentes, secundum generales feudorum consuetudi

nes semper interprætandas esse: quamdiu statuti verba, aut consuetudinis obseruatio non repugnat. *arg. eorum quæ traduntur in c. qnoniam dilectus, in fine. De consuetudine.* quod Iacobinus, *in prædicto loco*, aduersus Andræam de Isernia, *in d.c.vni. De eo, qui sibi, vel hæredi.* rectissimè tradidit: atque in statutis & consuetudinibus alia quæuis iuris argumenta concernentibus, communi sententia receptum est. *in d.l. omnes populi. d. c. quoniam dilectus, in fine, & l. de quibus. D. de legibus.* Sed quid, si in feudi inuestitura expressè cautum fuerit: vt deficientibus masculis, feudũ ad vnam fœminam transeat, contingatque masculis in posterum deficiẽtibus pluras fœminas in eo gradu sitas inueniri: ad quem intestati successio delata

delata est: an primogenita in huiusmodi feudũ succedet: an sorte res dirimetur: an domino feudi electio dabitur, vt ex omnibus vnam, quam maluerit ad huiusmodi feudi successionem eligat? Et feudi domino electionẽ dandam esse, Baldus, *in d.c.vni.§.1.verſ. hoc autem notand. De his, qui feudum.* Aluarottus, *in d.c.vni. De eo, qui ſibi, vel hæred.* atque Iacobinus censuerunt. Quod & ego æquius & probabilius esse puto: ne dominus aliam vasallam, quàm velit inuitus cõsequatur. Illud autem circa suprascriptã regulam omittendum non est: quod fœmina à feudo per masculos superstites semel excluſa, in perpetuum excluſa maneat: etiam in posterum omnium masculorum impedimento cessante. Quæ decisio etsi

dura atque ab humanitate aliena sit: eam tamen ipse amplector: Quoniam communi Doctorum calculo sine controuersia aliqua recepta est. *in d. θ. quoniam etiam, & d. vers. cumq; sapientes*. Quinimò non solùm fœmina: sed & eiusdem soboles, siue masculina, siue fœminina ab huiusmodi feudorum successione in posterũ exclusa manebit: etiãsi posteà nullum omninò masculum superesse contigat. *argu. l. vnic. vers. ad filias. De succes. feudi.* Rupto enim principali, accessorium eodem mota concidere necesse est. *c. accessorium. De regulis iuris. lib. 6.* Quę omnia & ad leges Municipales (quæ aduersus iuris communis dispositionem, *in l. maximũ vitium. C. de liberis præter. vel exhæred. Authen. in successione. C. de suis, & legit.*

lib.

lib. & Authen. defuncto. C. ad Senatusconſ. Tertull. etiam à bonorum allodialium ſucceſsione fœminas, extantibus maſculis, excludunt) extendẽda ſunt. Illis enim ſemel excluſis, nec ipſe, nec ex eis vſq; in infinitum deſcendentes, in poſterum, etiam maſculis deficientibus, ad illorum bonorum ſucceſsionem admittentur, à quibus legis Municipalis vi ſemel excluſæ fuerunt: quod Baldus eleganter tradidit, *in d. §. quinetiam*, communiterq; receptum eſt. Hæc itaque de inteſtata feudi ſucceſsione dicta ſufficiant.

DE TESTATA FEVDI *ſucceſsione. Cap.* X.

QVod ad teſtatam feudi ſucceſsionem attinet, pro regula ſciendum eſt: Teſtatorem va-

sallum testamento suo, vel codicillis de bonis feudalibus disponere non posse. *d.c.vni.in fine princip. De succeß.feudi. c.vni. 8.donare. Qualiter olim pot. feud. alien.* Quæ quidem regula vsque adeò vera est: vt etiam vasalli testatoris, descendentibus agnatis deficientibus, locum sibi vindicet. Nam extraneo hærede instituto, si vasalli testatoris descendentes, vel agnati superstites sint, illi defuncti vasalli testamentum infringent. Si verò non extent, vasalli testatoris testamentum ipso iure rescindetur: atque feudũ, de quo extraneus hæres institutus est, ad dominũ suum reuertetur: quod Aluarottus atq; Præpositus tradidêre, *in d.c.vnic.in princip. De succeßione feudi.* Ex quibus colligere licet, in potestate patris sitũ non esse,

esse, vt testamento suo, vel codicillis alteri filiorum duas feudi sui partes assignet: alteri verò vnam: vel quod fortius est, alteri soli feudum integrum cõcedat, alterum verò prorsus excludat: vel singulos, vel aliquos ex eis portionis suæ feudalis nomine certę pensionis annuę sororibus suis, vel alijs persoluendæ solutione grauet. Et si forsan aliquid istorum similiumque fecerit, ipsius dispositione reiecta, filij in feudum, de quo agitur, æqualiter succedent. *c. vnic. in princip. De succes. feudi. c. vni. §. 1. in princip. De his, qui feud. dare poss.* Quod Baldus, *in d. c. vnic. De prohibit. feudi. alien.* Andræas de Isernia atque Aluarottus, *in d. c. vni. in fine princip. De successio. feudi*, tradiderunt: atque Iacobinus secutus est, *in d. tractatu suo.*

tu ſuo. De feud. in verb. & cum pacto, in princip. arg. d. c. vni. in fine princip. De ſucceſs. feudi. Quam quidem deciſionem non ſolùm in feudo antiquo, vel paterno: ſed & nouo quoq; veram eſſe credo: Etiáſi feudum nouum patri teſtatori, vel induſtria, vel pecunia, vel alia qualibet re ſua, vel beneficiorum atque benemeritorum ſuorum non filiorum contemplatione, acquiſitum fuerit. *arg. d. c. vni. in fine princip. De ſucceſs. feudi.* licet Andræas de Iſernia, *in c. vnic. θ. final. verſ. item ſi fuerim. Quib. mod. feud. amitt.* Aluarottus, *in d. c. vni. in fine princip. De ſucceſſ. feudi*, contrà cenſuerunt. *arg. l. qua ratione. θ. 1. verſ. hoc quoque. D. de acquir. rerum dom.* Quorum ſentẽtiæ hac in re non ſubſcribo. Cùm enim feudi conſuetudo vaſalli defũcti filijs hoc pri-

priuilegiũ concesserit, vt ad omnis indiscriminatim feudi successionem æqualiter admitti debeant *d.c. vni. in princip. De succeſſ. feudi, & d.θ.1. in fin. princ.* ab eorundem patre nuda eiusdem voluntate hoc priuilegium, etiam in feudo nouo eisdem adimi non poterit, *argu. l. nemo poteſt. D. de legat. lib. pri.* Præsertim cum inuestitura patri suo de feudo etiam nouo semel facta, ipsis ius saltem in spe quæsitum sit. *arg. l. in ſuis. D. de liberis & poſthumis.* Adde & suprascriptam decisionẽ veram esse: etiamsi vasalli testatoris filij in bonis allodialibus sicuti feudalibus, ex inæqualibus portionibus hæredes instituti sint: atq; bonorum allodialium hæreditatem secundum patris sui voluntatem adijssent. Ea enim aditio filios

filios in bonis feudalibus patris ordinatione grauatos non impediet, quominùs in posterum, si velint, in feudalibus bonis æqualiter succedant. *arg. d.c. vnic. in fine princip. De successione feudi, & d.c. vnic. §. fi. De his qui feud.* Nec enim filij patris hæreditatem in bonis allodialibus consistentem, secundum eiusdem ordinationem adeundo, etiam bonorũ feudalium respectu, patris testamentum approbasse creduntur: licet Andræas de Isernia in contraria sententia fuerit, *in d.c. vnic. De succeſſ. feud. argu. c. qui semel. De regu. iuris lib. 6.* Cæterùm si vasalli testatoris filij eiusdem ordinatione grauati, statim ab initio in supraſcriptam patris sui ordinationẽ expresse consensissent: vel eam in posterum expresse ratam haberent,

rent, supràscriptæ decisioni locum non fore, crederem. *arg.l.si quis in conscribendo. C. de pactis. c. præsenti. De reg. iuris in 6.* Quia cõsentienti non fit iniuria, neque dolus. Ex quibus omnibus colligere licet, in illis locis, in quibus specialis consuetudo inoleuit: vt primogenitus solus ad omnia feuda succedat, patrem testamẽto suo, vel codicillis disponere non posse: vt secundo vel tertio geniti ad certã feudi portionem succedãt: nisi in eam rem expressus primogeniti consensus accesserit. Nec etiam primogenitũ grauare posse, vt alijs suis fratribus à feudo exclusis, certam annuam pensionem præstet: nisi ipse specialiter in eam rem consenserit: Quod & vsus in illis locis diligentissimè obseruat. *arg.d. c.vni.*

c. vni. in fine princip. De succeß. feudi.
Quod autem ſuprà tradidi, patrem vaſallum de bonis ſuis feudalibus, neque teſtamento ſuo, neque codicillis diſponere poſſe: extraneorum reſpectu locum ſibi vindicat: Quibus neque inſtitutionis, neque legati, neque fideicommiſsi titulo feudum relinqui poteſt, etiāſi vaſallus pro ſe & hęredibus ſuis quibuſcunq; de feudo inueſtitus fuiſſet: quod ſuprà comprobaui. Verùm ſi vaſallus teſtamento ſuo, vel codicillis, ei qui aliàs inteſtatæ ſucceſſionis iure ad feudi ſucceſsionē admiſſus fuiſſet, de feudo prouidiſſet: prouiſio valeret, vt Iacobinns rectiſsimè tradidit, *in prædicto loco.* Sed quid, ſi vaſallus teſtamento ſuo, vel codicillis de bonis feudalibus diſpoſuerit: neque

ſua

sua disposítione ei consuluerit, qui aliàs intestatæ successionis iure ad eiusdem successionẽ admissus fuisset, an feudi domino statim ab initio in eam rem expresse consentiente: vel eam in posterum expresse ratam habente, vasalli dispositio valebit? Et valere Baldus existimauit, *in d. θ. donare. Quomodo olim. feud. alie. pot.* Ego verò eam in domini feudi præiudicium tantùm valere, crederem: vt si feudum de quo vasalli testamento, vel codicillis suprascripto modo dispositũ esset, nouum esset: nec aliquis ex vasallo descendens supereſſet. Hoc enim casu, feudi dominus sibi præiudicare poterit suo consensu. Verum in descendentium, vel agnatorum præiudiciũ eam non valere putarem: vt si ex testatore

statore vasallo descendentes, vel his deficientibus collaterales supereſſent. Hoc enim casu domini feudi consensus legitimis vasalli hæredibus præiudicium adferre non potuit. *arg. c. non debet. De reg. iuris lib. 6.* quod Iacobinus rectè censuit, *in prædicto loco.* Quid ergo, si vasallus in testamento suo, vel codicillis feudum suum Ecclesiæ, vel monasterio legauerit: an legatum valebit? Et legatum valere Hostiensis *in Summa, in tit. De immun. Eccles. §. in quantum, vers. sed nec, arg. l. 1. l. generali, & l. illud. C. de sacrosanct. Eccles.* putauit: Verú Baldus, Aluarottus, *in d. §. donare,* atque Iacobinus, *in prædicto loco,* contrà censuerunt. *arg. d. c. vnic. in princip. De succeſs. feudi.* Quorum opinio mihi probabilior videtur: ne cum magno domini præiudi-

iudicio, feudum semel cõcessum ad eum nunquam regredi contingat. *c. vnic. vers. Mediolanens. ibi. inde pot. & vers. seq. De alienat. feudi.* Si ergo suprascriptum legatum non valet: consequens est, vt nec res legata, nec eiusdem æstimatio Ecclesiæ præstari debeat: quod Baldus, *in d. l. 1. C. de sacrosanct. Ecclesijs*, Aluarottus, atque Iacobinus, *in prædicto. §. donare*, comprobârunt: licet Speculator contrarium censuisse visus fuerit, *in tit. De locat. & conduct. §. nunc aliqua. vers. centesimo decimoseptimo quæritur*. Sed nunquid feuda in fideicõmissi generalis restitutionem veniunt? Et regulariter non venire, Bartolus, *in l. si patroni, in princip. D. ad Senatusconsult. Trebell.* Baldus, *in l. cùm vnum, C. de fideicom.* atque Iason, *in prælud. feudorum*, tra-

diderunt. Quod & ego aduersus eosdem verum esse crederem: etiamsi is cui fideicõmissum vniuersale restituendum est, ex numero liberorum, vel agnatorum vasalli defuncti sit, vel eorum, qui in feudorum inuestitura cõpræhensi sunt. Vt enim vniuersalis tam bonorum feudalium, quàm allodialium institutio facta subsistat: eos institutos esse oportet, qui aliàs intestatæ successionis iure feudum consequerentur: quod suprà comprobaui. Ergo cum ipsi fideicommissarij hæredes grauati, ex fideicommissi vniuersalis onere feuda extraneo fideicommissario restituere non cogantur: vt Bartolus, Baldus, atque Iason, *in prædictis locis*, tradunt: Consequens est, vt nec ea alijs legitimis vasalli defuncti

functi hæredibus restituere compellantur. Eo enim onere à vasallo testatore fideicõmissi vniuersalis vigore grauari non potuerunt, vt omnia feuda fratribus suis, vel alijs legitimis vasalli defuncti hæredibus restituere cogantur: ne ea occasione consuetudinis feudalis dispositionem, *in d.c. vnic. in fine princip. De successione feudi*, facilè eludi contingat. Sed an feuda in petitionem hæreditatis veniant? Et venire dubium non est: Si petitionis hæreditatis actio ab eo intentata fuerit, qui intestatæ successionis iure ad vasalli defuncti feuda vocatur. *glossa fin. in l. item videndum. & final. D. de petit. hæred. Bartolus, in l. Iurisiurandi. vers. si liberi. D. de oper. libert.* Sed frequentiori calculo receptum est, vt petitionis hæreditatis

ditatis actio non solùm à legitimo defuncti vasalli hærede, vel alio quolibet in feudorum inuestitura nominatim compræhenso: sed ab extraneo quoque in iudicium deducta, defuncti vasalli feuda complectatur: Dummodo ille, aduersus quem mota est, nullum feudi detinendi ius habeat: quod Cynus, atque Bartolus tradiderunt. *in d. l. Item videndum, & d. l. si patroni*, atque Iacobinus secutus est. *in prædicto loco.* Nec huic decisioni obloquitur, quòd extraneus in feudo nullum ius habere possit. *arg. d. c. vni in fine princip. De succeß. feud.* Nam vt id verum concedamus: constat tamen in iudicium petitionis hæreditatis non solùm ea, quæ in defuncti dominio erant venire: sed etiá ea, quæ à defuncto mortis suæ tem-

tempore detinebantur. *l. & non tantùm. D. de petit. hæred.* Sed an etiam feuda in legitimam filijs naturæ iure debitam, id est, quartam, vel trientem, vel semissem ex patris defuncti substantia, *Authent. nouissima. C. de inoffic. testam.* ad excludẽdam inofficiosam testamenti quærelam computari posse dicemus? Et non posse, Angelus existimauit, *in d.l. si patroni, in princip. arg. gloss. 1. in fine ibidem.* Quia legitima tanquam æs alienum à patre filio debetur, Iason *in l. filius familiâs. θ. diui. D. de legat. lib. primo.* Sed posse Nicolaus de Neapoli. *in l. pater filiam, in princip. D. ad leg. Falcid.* Gulielmus de Cuneo, Baldus atque Cynus, *in l. omnimodò. θ. imputari. C. de inoffi. testam.* censuerunt. Quorũ opinionem, tanquam receptiorem & verio-

rem, & ipse sequor. Nam & dotem, quæ à patre filiæ ex iuris necessitate debetur. *l. qui liberos. D. de ritu nupt.* in legitimam imputari constat. *l. quoniam nonnulla, in fine. C. de inoffic. testam.* Sed sicuti dos à patre profecta, & ab eo adhuc superstite soluta, in Falcidiam, vel Trebellianicam institutionē iure debitam nō computatur: quia eam iure proprio, non hæreditario filia habet. *d. l. pater filiam, in princip.* ita nec feuda computabuntur: cum filio iure proprio, non hæreditario debeātur. *c. vnic. in fine princip. De feudi succeſs.* hacq; in re Angeli, *in d. l. ſi patroni, in princip.* sententiam veram esse fateri debemus. Si quoque feudum ab auo, vel vlteriori ascendente ad nepotem, vel vlteriorem descendentem deuolutum sit: in legitimam

mam à patre filio iure naturæ debitam non computabitur: Quia huiusmodi feudum patris, de cuius hæreditate agitur respectu aduentitium, non profectitium censetur. *gloss. notabilis, & ibi Bartolus & Angelus, in l. quæsitum in princip. D. de legat.* 1. Et aduentitia in legitimam non cõputari constat. *l. Scimus, in princip. vers. in repletionem. C. de inoffic. testamen.* Hoc autem loco admonendi sumus, quod licet quondam in feudo Ducatus, Comitat⁹, & Marchiæ, successioni tam intestatæ, quàm testatæ locus non fuerit. *c. vnic. in princip. De feud. Ducat. March.* Hodie tamen in eis, sicut in alijs feudis successio locum habet. Et quamuis etiam quondam feuda minoribus valuasoribus concessa iure feudi non censebantur:

nec teſtatæ, vel inteſtatæ ſucceſſionis iure in valuaſorum minimorum liberos, vel agnatos deuoluebantur: ſed quandocunq; concedentibus viſum erat, regulariter reuocari poterãt. *c. vni. §. finali. De his, qui feud. c. vni. De feud. dat. mini. valuaſ.* Hodie tamen huiuſmodi feuda, tam in ſucceſsionibus, quàm in alijs conſuetudinis feudalis articulis, cum alijs maioribus feudis ad eandẽ ęqualitatem redacta ſunt. *c. vnic. in fin. De nat. feud. gloſſ. final. in d. §. fin.* In ſumma, prætereundem non eſt, quod quamuis ex iuris ſcripti diſpoſitione, omnibus, & liberis, & parẽtibus, & agnatis, & cognatis deficientibus, vir & vxor in bonis allodialibus ſibi inuicem in ſolidum ab inteſtato ſuccedunt: *l. vni. C. & D. vnde vir & vxor.* in

feudis

feudis tamen neque teſtatæ, neq; inteſtatæ ſucceſsiõis iure ſibi inuicem ſuccedunc: niſi ſpecialiter à dominis de illis inueſtiti fuerint. *c. vni. An marit. ſucc. vxo. & Aluarottus ibidem.* Sed nunquid alijs modis feudũ acquiri poſſe dicemus? Et nõ poſſe certũ eſt. Quẽadmodũ enim rerũ dominia non nudis pactis & titulis: ſed traditionibus & vſucapionibus tranſferuntur. *l. traditionibus. C. de pactis*: ita nec feuda (in quibus vtile ſaltem dominiũ in vaſallũ transfertur) donatiõe, emptione, vel alio quouis titulo acqri dicũtur: ſed inueſtitura vera ex ſupraſcriptis, ſimilibusq; præcedẽtibus titulis poſteà facta: quę inueſtitura verę traditiõis loco habetur, vt ſuprà in præcedẽtibus ſatis cõprobaui.

Libri ſecundi Finis.

DE IVRE FEVDORVM GVLIELMI HANNETONII LIBER TERTIVS: E MANVSCRIPTIS EXEMPLARIBUS iam recens in lucem prolatus: & in capita, iuxta materiæ cognationem, distinctus: opera & studio Ioannis Hauichorstij Monasterienſis.

DE AMISSIONE *feudi. Caput* I.



I vasallo defuncto eiusdē hæres à feudi domino: vel ex diuerso domino defuncto, vasallus à domini defuncti hærede intra annum & diem inuestituræ renouationem petere, fidelitatemque offerre neglexerit, tanquam ingratus, feudum suum amitett. *c. vni. in princip. Quæ fuit prima cauſ. beneficij*

beneficij amitt. c. vni. in prin. De Capit. Corradi. c. vnic. in fine. vers. præterea. De prohibita feud. al. Si tamen vasallus, vel vasalli defuncti hæres miles fuerit, ex speciali beneficio anni & mensis spacio gaudebit. *c. 1. Quo temp. mil. inuestitur. pet. deb.* Siue ergo paganus, siue miles inuestituræ renouationem petere debeat: intra suprascripta tempora, vel feudi dominum, vel eiusdem hæredem adibit: atque ab eo inuestituræ renouationem cum debita reuerentia, *c. vni. vers. quoniam. In quib. caus. feud. amit.* & fidelitatem statim ab initio offerendo, petet: idque instanter, & coram alijs curiæ domini paribus, id est, conuasallis, vel his deficientibus alijs idoneis testibus. *c. vnic. in fine vers. nulla & ibi gloss. fin. in princip. Per quos fiat inuestit. c. vni. in*

vni. in princip. & §. si verò, in fine. Quid sit inuestit. Facta verò inuestituræ renouatione, genibus flexis, & manibus suis inter domini manus conclusis, fidelitatem eidem iurabit. Et vicissim dominus in mutuę fidelitatis signum, ipsum exosculabitur. *c. vnic. Quid præced. deb. Speculator in tit. De feud. §. quoniam. vers. Primo autem. in fine.* Quibus peractis ex continenti breue testatum, id est, instrumentum publicum super inuestituræ renouatione facta, fidelitatęque præstita cõscribetur, ad perpetuam rei gestæ fidem & memoriam. *argu. d. §. Si verò, in fine. c. vnic. vers. consules. Qui test. sint necess.* Ex quibus satis apparet, eum qui inuestituræ renouationem petere tenetur: nõ solùm inuestituram petere, sed & fidelitatem quoque præ-

præstare debere, vt suprascriptã amissionis feudi pœnam euitet: quod glossa tradidit. *in d.c.vnic.in princip.Quæ fuit prima cauß.in verb. petendo*, atque Andræas de Isernia rectissimè approbauit, *in d. gloß.arg.d.c.vni.in princip.De Capit. Corradi.* Hæc enim duo in recognitionis ac reuerentiæ signum à vasallo, vel eiusdem hærede feudi domino, vel eiusdem hæredi intra suprascripta tempora præstari, consuetudinis feudalis lex optimà ratione voluit. *d.c.vnic.in princip. Quæ fuit prima cau.* Sed an ex die mortis, vel vasalli, vel domini suprascripta tempora currere dicemus? Et non ex mortis, sed potiùs scientiæ eiusdem die suprà scripta tempora currere crederem. *c.vnic.§. donare, vers.porrò. ibi, ex quo sciuerit, Qualiter olim feud.*

feud.pot.alienari. Cum enim alieni facti ignorantia regulariter probabilis sit, *l. final. in fine. D. pro suo,* culpæ vel negligentię asscribi nõ poterit: quæ vnà cum suprascriptorum temporum lapsu ad suprascriptam pœnam incurrendam necessaria est. *d. vers. præterea, in verb. incuria vel negligentia, gloss. 1. in d. c. 1. Quo tẽp. mil. inuestit.* Quinimò crediderim & eo casu, quo vasallus superstes à defuncti domini hærede inuestituræ renouationem petere debet: non nisi ab aditæ hæreditatis die suprascripta tempora currere. *arg. l. final. θ. final. in princip. D. de inoffic. testam.* Eo verò casu, quo vasallo defuncto eiusdem hæres à feudi domino inuestituræ renouationem petere debet: statim à scientię die suprascripta tempora currere incipient.

cipient. Sed per eorundē lapsum defuncti vasalli hæres, qui nondum inuestituræ renouationem petijt, feudo successionis iure sibi delato, non priuabitur: nisi ante suprascriptorū temporum lapsum defuncti vasalli hæreditati se immiscuerit: quod Baldus, *in d.c. vnic. in princip. De Capit. Corradi*, atque Alexander, *consil. suo* 29. *circa finem, in* 1. *volum.* censuerunt: atque Iacobinus secutus est, *in tract. suo. De feud. in verb. ita quod ipsi. in fine.* Sed nunquid feudi dominus, vel eiusdem hæres suprascripta tēpora coarctare potest? Et vasallo eiusdēúe hærede consentiente posse, dubium non est. *arg. l. si quis in conscribendo. C. de pactis.* Cæterùm eo inuito non posse, Andræas de Isernia, Aluarottus, atque Nicolaus de Neapoli putâ-

putârunt, *in d.c.vni.in princip. Quæ fuit prima cauſs.* Quod & ego probo. Nam conſtat ipſa in vaſallorum, atque hæredum eorundem fauorem à conſuetudinis feudalis lege introducta eſſe: Nec per alterum alterius non conſentientis conditio deterior fieri debet. *l.non debet. D. de regul. iuris.* Vaſallum tamẽ eiuſdemúe hæredem, qui ante ſupraſcriptorum temporum lapſum, à feudi domino, eiuſdemúe hærede ſpecialiter rogatus fuerit: vt ſibi debita ſeruitia præſtet, ſi ea præſtare noluerit, tanquã ingratum feudo ſuo priuari: Iacobus de Beluiſo, Aluarottus, Nicolaus de Neapoli atque Cardinalis exiſtimârunt, *in d.c. vnic.in princip. Quæ fuit prima cauſs. arg. verſ. ſed non eſt alia, verſ. prædictis ibid.* quod & ego ſequor.

Eiuſ-

Eiusdemque differentiæ eam rationem esse puto: quòd quamuis vasallus, eiusdemúe hæres in renouationis inuestituræ petendæ tempore expressa consuetudinis feudalis lege priuilegiatus sit: in seruitiorum tamen præstandorum tempore priuilegiatus non inueniatur. Cùm ergo vasallo, vel domino defuncto, feudum anteà constitutum pristinæ suæ naturæ nihilominùs remaneat: credendum est eam consuetudinis feudalis legis mentem fuisse: vt vasallo defuncto, eiusdem hæres feudi domino superstiti: vel feudi domino defuncto, vasallus superstes defuncti domini hæredi debita seruitia, si opus esset, statim, & sine aliqua temporis dilatione præstaret: Præsertim cùm suprascriptis casib⁹ ad debita ser-

uitia præstanda nullam temporis dilationem tribuere, consuetudo feudalis inueniatur. Quam rationem Bartholomeus à Cassenæo, aduersus Franciscum de Curte, *in d.c.1. in princip. Quæ fuit prima cauß.benef.amitt.* probabiliter reddidit. *in consuetud.Burgund. in tit. De feud. §.1. vers.aduerti*: eamque ipse probo. Sed quid, si vasallus, qui inuestituræ renouationem petere, fidelitatemq; offerre debebat: hoc nondum acto, intra suprascripta tempora moriatur: an eiusdem hæredi ad inuestituræ renouationem petendam, fidelitatemque offerendam suprascripta tempora integra dabuntur? an verò id solùm, quod de defuncti vasalli temporibus reliquum est, eidem competat? Et si feudum, de quo ageretur, anti-

antiquum esset: defuncti vasalli successorem integris tẽporibus frui debere, Iacobus de Beluiso, Andræas de Isernia, Baldus atq; Aluarottus censuerunt. *in d. c.* 1. *Quo temp. mil. inuest. pet. deb. in gloss. in verb. veluti mortis.* Quoniã hoc casu successor non ex proximi prædecessoris: sed alterius remotioris beneficio potiùs successorij edicti iure feudum consequitur. Ideoque tempus à prædecessore consumptũ, eidem in suum præiudicium computari nõ debet. Præsertim cùm successoris inuestitura fidelitasq;, cum prædecessoris inuestitura fidelitateque nihil commune habeat. Si verò feudum, de quo ageretur, nouum: id est, à defuncto vasallo de nouo acquisitum esset: atque feudi domino defuncto, & inue-

stituræ renouatione ab eiusdem hærede nondum petita, fidelitateque nondum præstita, vasallus mortuus esset, eiusdē successor id solum, quod ex defuncti vasalli temporibus supereſſet, ad inuestituræ renouationem petendam, fidelitatemque prestandam haberet. *d. gloss. in verb. veluti mortis, in fine.* Quia ex defuncti vasalli beneficio, huiusmodi feudum immediatè consequeretur.

DE PLVRIBVS VASSALLI, *dominiq; defuncti hæredibus, quoad beneficij renouationem.*

Caput II.

QVid ergo, si vasallus, plurimis legitimis hæredibus relictis, decesserit: an quilibet ipsorum à feudi domino inuestituræ renouationem petere:

petere: eidemque fidelitatis iuramentum præstare tenebitur? Et si vni hæredum soli totum feudum in hæreditatis diuisione adiudicatum fuerit: eum solum ad suprascripti debiti præstationem teneri certum est. *c. vnic. θ. si quis per trig. vers. omnes, in fine. Si de feud. defun. content.* Si verò feudum ad singulos hæredes ex diuisione peruenerit: vt quia defuncti vasalli feudum inter se pro virilibus portionibus diuiserint: hoc casu dubium non est, quemlibet ipsorum specialiter & in solidum pro persona sua, & inuestituræ renouationem petere, & fidelitatē præstare debere. *d. vers. omnes, in princi. c. vni. θ. firmiter, vers. Præterea, ibi. ita. De prohibit. feud. alien. per Freder.* Fidelitatis enim iuramentum indiuiduũ est. Bal-

dus *in d.c.vni.*§.1. *Si de feud. defunct. cont.* Et constat, in his, quæ natura sui indiuidua sunt, quemlibet hæredum in solidum tenere. *l.hæredes.*§. *quod pro emptore, vers. an ea. D.famil.herciscund.l.*2.§. *ex his. D.de verb.oblig.* Quam sententiam Angelus, Alexander, & Iason probârunt. *in d.*§. *ex his.* Sed si omnes defuncti vasalli hæredes feudũ pro indiuiso possideant: maximæ dubitationis est, an omnes simul generaliter inuestituræ renouationem petere, fidelitatisq; iusiurandum pro omnium persona præstare sufficiat: an quemlibet ipsorum pro sua persona suprascriptum debitum specialiter, & in solidum præstare oporteat? Et arbitror oportere. *arg. d. vers. omnes, ibi. maximè. D.vers.præterea. ibi, Ita vt.* Quod & Isernia, Baldus, Alua-

Aluarottus, Præpositus, alijsque omnes censuerunt. *in d. vers. omnes:* Iacobinusque secutus est, *in tractat. suo. De feud. in verb. qui quidem inuestiti, post princip.* Et ego recipio: quoniam fidelitatis iusiurandum indiuiduum est. *Iason in l. 1. §. sed si mihi. D. de verbo. oblig.* Poterunt tamen suprascripti hæredes vnum ex cohæredibus eligere, qui suo omniumque cohæredum nomine fidelitatem iuret. *arg. c. vni. §. 1. vers. personam, in fin. Per quos fiat inuestit.* eumque feudi dominus admittere debebit: nisi probabili causa motus, ipsum admittere recuset. *DD. in d. vers. personam.* Cùm enim fidelitatis iuramentum ab vno omnium nomine præstatur: omnes iurasse intelliguntur: Quod Baldus, Aluarottus, Præpositus, *in d. vers. om*

nes, atque Iacobinus, *in præd. loco*, rectè censuerunt. Et si seruitium huismodi feudi contemplatione domino præstandum diuiduum sit, à singulis hæredibus pro parte præstabitur. *arg. l.* 1. *C. si cert. pet. l. pro hæreditarijs. C. de hæred. actionis. l. ea, quæ. C. famil. herciscund.* Si verò indiuiduum sit, cuiusmodi est, dominum in expeditionem sequi, similiaque facta præstare, suprascripti hæredes omnes virum vnum idoneum substituẽt, qui suprà scriptum factum, similiaque omnium hæredum nomine explicet. Quo solo feudi dominus contentus esse debebit: si æquè idoneus sit, atque vasallus defunctus erat. Etsi enim hæredes numero plures sint: quia tamen in vnius locum tantùm succesſerunt: pro singulari

persona

persona habentur. *l. cui fundus, in fine. D. de condict. & demonst. Andræas de Isernia, in d. vers. omnes.* Sed quid è contra, si feudi dominus pluribus legitimis hæredibus relictis, decesserit: an vasallus superstes ab omnibus defuncti domini hæredibus inuestituræ renouationem specialiter petere, eisdemque omnibus fidelitatem in solidum iurare tenebitur? an vni hæredum tantùm suprascriptum debitum pręstari sufficiet? Et si in diuisione hæreditatis defuncti domini, vni soli hæredi totius feudi ius, & superioritas adiudicata sit: dubium non est, ei soli suprà scriptum debitum pręstandum esse: *arg. d. vers. omnes, in fine.* Si autem huiusmodi feudi ius superioritasúe ab omnibus defuncti domini hæredibus pro

diuiso, vel indiuiso possideatur: eosq; oēs vt dominos suos vasallos semel agnouerit: in posterū eos omnes agnoscere, ipsisque omnibus fidelitatem iurare debebit. *arg. d. vers. omnes, in princip.* Sibi enim imputare debet, quod volens eos vt dominos, semel agnouerit. Si quoque statim ab initio huiusmodi feudi plures domini fuissent: vt quia à pluribus dominis concessum ab initio fuisset: hoc similiter casu ab omnibus defuncti domini hæredibus, vasallus inuestituræ renouationem petere, ipsisque omnibus fidelitatem iurare deberet: etiamsi eos vt dominos suos anteà nō agnouisset. Qualitas enim huiusmodi feudo statim ab initio indita, hanc interpretationem exigit. *gloss. in verb. oportet. in l. si*

l.si vsusfruct. leg. arg. text. ibidem. D. de vsufructu, & quemadmodum. Præsertim cùm fidelitatis sacramentum, tanquam seruitutis species, indiuiduum sit. *D. gloss. in verb. oportet. Istisque duobus casibus, Bartoli & Iasonis, in l. de pupillo. §. si plurium. D. de noui oper. nunciat. Baldi, in l. 1. 22. quæst. D. de rerum diuis. Angeli, in d. §. ex his*, atque aliorum multorũ opinionẽ veram esse dicimus. Cæterùm si feudum ab vno domino tantùm, statim ab initio concessum fuerit: deinde ipse pluribus hæredibus relictis, decesserit: hoc casu vasallus, si eos omnes non vt dominos suos anteà non recognouerit, non nisi ab vno defuncti domini hærede inuestituræ renouationem petere, eidemque fidelitatis iuramentum præstare tenebitur. *d.*

vers.

verſ. Prætereà, ibi. ita tamen. Hocq; caſu vera erit Gloſſæ ſententia, *in d. verſ. omnes*: quam Iacobus de Beluiſo, cæteriq́ue omnes feudorum interprætes frequentiori calculo receperũt. *in d. verſ. omnes.* Sed quemadmodum ſupraſcripto caſu domini defuncti hæredibus, cum cui ſupràſcriptum debitum præſtetur, eligendi poteſtatem dandam non eſſe, omnes qui in ſupraſcriptam ſententiam inierunt faſsi ſunt: ita quoque aduerſus eoſdem, atque Iacobinum, *in d. loco*, cenſeo, vaſallo eam poteſtatem concedendam non eſſe: ſed præcisè ei, qui inter defuncti domini hæredes natu maximus fuerit, fidelitatis iuſiurandum præſtandum, atque ab eodẽ inueſtituræ renouationem petendam eſſe: Quod & Baldus tra-

tradidit, *in d. vers. præterea.* & rationi magis accedit, & frequentiori vsu passim receptum est. Adde & post petitam inuestituræ renouationem, præstitumque fidelitatis iusiurandum, vasallum, vel eiusdem hæredem feudi domino, vel eiusdem hæredi omnes res feudales nominatim & specificè dinumerare, declarareque debere: alioqui à beneficij sui iure cadere: quod Baldus, Aluarottus, Præpositus, *in d. c. vnic. vers. illud. De prohib. feudi alien. per Frederici*, atque Iacobinus *in tract. suo. De feud. in verb. dictiq; vasalli promisse. cog.* tradiderunt: vsusque passim recepit: atque in quibusdam locis quadraginta dierũ spacium, intra quod id fiat, constituit: suprascriptamq; pœnam satis duram, humanitate impellente,

lente, mitigauit. 8. *quartus, in tit. De feud. in consue. Burgund.* Quod quidem onus vasallo, eiusdemúe hæredi partim in recognitionis signum: partim ad meliorem directi dominij conseruationem, facilioremque controuersiæ super re feudali inter dominum & vasallum ortæ decisionem, iniunctum fuit: Et rectè.

EX QVIBVS CAVSSIS *vasallus legitimæ renouationis omissæ pœnam euitet.*

Caput III.

SED quod suprà tradidi, vasallum, vel eiusdem hæredem, qui intrà suprascripta tempora inuestituræ renoúationem non petijt: vel fidelitatis iusiurandum non præstitit: vel res feudales non dinumera-

merauit, à beneficij sui iure cadere, perpetuum non est. Imprimis enim, si feudum ex concedentis & recipientis conuentione ita acquisitum sit: vt eius nomine suprascripta præstari non debeant: suprascriptis traditionibus locus non erit. *d. c. vni. in princip. De capit. Corradi. d. c. vni. in fine. Per quos fiat inuestitura.* Si quoque feudum ita acquisitum non sit, sed rectum sit: atque eius nomine hæc omnia à vasallo eiusdemúe hærede intra suprascripta tempora præstanda sint, nec præstentur: subsit tamen iusta & probabilis causa, quæ eum à dolo, lataúe culpa & negligentia excuset, supràscriptum pœnam euitabit. *d. c. 1. in fine, Quo temp. mil. inuest. pete. debeat. c. final. De prohib. feud. alie nat. per Lotha. d. c. vni. in fine princip.*

Ver-

versicul. præterea. De prohibita feud. alienat. per Frede. Vt si alterutrius mors ante suprascripta tempora elapsa, superuenerit, si iusta vasalli, eiusdemúe hæredis absentia, vel iustum impedimentum obstiterit: Si hostiles incursus, vel inimicitiæ capitales, vel pestis, vel vasalli eiusdemúe hæredis incarceratio etiam ipsius culpa contingens, eum à suprascripti debiti præstatione impediuerit. *d.c.1. in fine, & d.c. final. in fine, & DD. ibidem.* Si denique feudi dominus, vel eiusdem hæres, maiori excommunicationi suprascriptis temporibus excommunicatus, vel relegatus fuerit. *arg.c.1. in princip. De except. lib. 6.* Denique si feudi dominus vasallo, vel eiusdem hæredi locum suspectũ, incommodum, pestilentem, &

ad

ad quẽ non nisi in magnis sumptibus veniri posset, ad supra scripta peragenda præfigeret, à supra scripta commissa pœna vasallus, eiusdémue hæres excusaretur: si modò se alio congruo loco ad suprà scripta peragenda paratum offerret. Cæterum si vel loco, vel tempore incongruo, vtputa noctis, prandij, vel balnei ad supra scripta præstanda se paratũ præberet, non excusaretur: nisi fortè feudi dominꝰ alibi inueniri non posset: quod DD. nostri sine cõtrouersia censuêre, *in d c.* 1. *Quo temp. miles.* Proinde si vasallus eiusdémue hæres feudum, de quo agitur, non possideat: nec eiusdem possessionem sine litibus consequi posset: à supra scripta pœna excusabitur: si modò dolus ei inputari non possit. Quod Guliel-

mus de Cuneo, Baldus, Salicetus, & alij tradidêre, *in l. Solennibus C. de rei vindicat.* atque huius argumenti Interpretes secuti sunt, *in d. c. vni. Quæ. fuit prima causs. beneficij amitt.* Idemque erit, si defuncti vasalli hæres rem feudalem esse ignorârit. *arg. ff. vasallus. in fin. in tit. Si de feud. defunct. & gloss. ibid. in verb. cælauerit.* Habet enim iustam ignorandi caussam, an res feudalis sit, *arg. l. qui in alterius locum. D. de regul. iuris. l. eius qui. in fine. D. Si certum petatur.* Prætereà si defuncto feudi domino inter duos pluresue eiusdem hæredes, de eiusdem feudo contentio esset, nec vasallus superstes intra suprascripta tempora suprascripta dibita alteri ipsorum præstitisset, ab amissionis feudi pœna excusaretur: Si modò antea protestatus fuisset, quod

quod per se non staret, quomin⁹ suprascripta onera exequeretur. Si tamen alter ipsorum hæreditatis defuncti domini possessionẽ nactus fuisset: etiam contentione durante eidem suprascripta debita intra suprascripta tempora pręstanda esse, Præpositus censuit. *in d.c.1. Quo temp. miles inuestituram pet. deb.* Nisi fortè vasallus cõtestatione de præiudicio alteri nõ inferendo prius facta, alteri supra scripta debita præstare mallet. *arg. l. final. C. de petit. hæred.* Porrò si vasallus, vel eiusdem hæres decem & quatuor annis minor esset, nec tutorem haberet, ob suprascripta debita non præstita suprascriptam pœnam non incurreret. *d.c.1. in fine, in verb. vel infantia. Quo tẽp. mil. inuest. pet deb. d. vers. præterea, in verb. maior. 14. annis.*

Verùm si tutorem haberet, ob neglectam rerum feudalium dinumerationem, vel renouationis inuestituræ petitionem, tãquam si quatuordecim annis maior esset, priuationis feudi pœnam incurreret: quod & Iacobus de Beluiso sensit, *in d.c.* 1. *Quo temp. mil. & vsus passim recepit. §. 2. in tit. De feud. in consuetud. Burgund.* Ob non præstitam verò fidelitatem, siue tutorem haberet, siue non: minimè tamen incurreret, *d.c. vni. §. si quis, in fin. cum §. sequen. Si de feudo defunct.* Nisi fortè iam decem & quatuor annis maior factus, intra anni & diei tempus fidelitatem præstare neglexerit. Quo tamen casu aduersus pœnam, quam incurrit in integrum restitui posset: quod Iacobus de Beluiso, Andreas de Isernia, Aluarottus, cæteriq́ue

teriq́ue ſine dubitatione recepe-
runt, *in d. verſ. prætereà. arg. l.* 1. *& l. interdũ. D. de minorib.* licet gloſſa *in dicto verſ. prætereà. in verb quatuordecim annis*, & Hoſtiẽſis in *Sũma ſua, tit. De feud. θ. quibus, verſ. ſed nunquid*, ea in re dubitarint. Denique & ſi nulla iuſta cauſa ſubſit, quæ vaſallum eiuſdémue hæredem à ſupra ſcripta pœna excuſet: ſi tamẽ feudum, de quo agitur, parui emolumenti ſit, ſupra ſcripti debiti intra tempora legitima non præſtiti nomine, vaſallum eiuſdémue hæredem ſupra ſcriptam pœnam nõ incurrere Ludoloicus Romanus tradidit, *in conſil. ſuo.* 220. *incip. tu qui habes feu.* atq; Aluarottus recepit. *in d. c. vni. in fine. Per quos fiat inueſtit, argum. l. penult. D. de pœnis. c. odia. De reg. iur. lib.* 6. ꝙ an verũ ſit, ſubſiſto. Illud autẽ cõſtat, quod

etsi nulla iusta causa subsit, quæ vasallum eiusdémue hæredem à suprascripta pœna excuset: si tamen suprascriptis temporibus elapsis, feudi dominus, vel eiusdē hæres, vasallo, vel eiusdem hæredi inuestituræ renouatorem petenti annuerit: vel ab ijsdem solita seruitia petierit & receperit: ea re pœnam, quam vasallus eiusdémue hæres antea incurrerat, ipsi remissam videri: eoque nomine in posterum priuari feudo suo non posse: quod glossa tradidit, *in d.c.1. Quo tempo. mil. in verb. & in mensem argumen. l. post diem D. de legat. commiss. & l. final. in fine. D. de eo, quod certo loco*, & Ferrarienses, *in Praxi sua, in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi, in verb. nec superstitibus*, post medium, secutus est, & ego probo: si modo dominus,

nus, vel eiusdem hæres sciens id fecerit. Nam si ignorans, vel dubitans id egesset, pœnam sibi cõmissam remisisse non videretur. *l. mater decedens, vers. nec enim D. de inoffic. testam. l. nec ignorans. C. de donat. l. final. C. de condict. indeb.* Idemque esset si ab initio dominus protestatus se iure suo saluo id agere. *arg. l. 2. in fine princip. D. si quis caut.* Sed nunquid vasallus eiusdémue hæres, qui suprascripta debita intra suprascripta tempora præstare neglexerit, temporibus elapsis moram suam purgare poterit? Et si domini temporalis vasallus sit, non posse Aluarotus atque Præpositus censuêre, *in d. c. 1. Quæ sint prima causs. benefic. amitt.* partim quia id expressa feudalis consuetudinis lege cautum non sit, nec legibus clementio-

res esse debeamus, *Authen. de Iudicis. §. oportet. circa medium. partim*, quia communi sententia traditũ est, purgationi moræ locum non esse, cum diei expresse pœna adiecta est *l. 1. in princip. vers. habebit igitur hæres, ibi, nisi forte. D. de pœnu leg. vt in præsenti casu.* Si tamẽ Episcopi, Abbatis, vel alterius prælati vasallus esset, æquitate Canonica dictante, posse censerem: dummodò id ex continenti faceret, id est, antequam super feudi priuatione à feudi domino, eiusdémue hærede in ius vocatus esset. *arg. c. final. vers. Emphiteuta. ibi, nisi cleric. De locat. & conduc.* quod & Guido Papa ex facto decisũ retulit, *decis. sua. 166.* Hęc quidẽ omnia locum habent in illis feudis, in quibus inuestitura semel facta, & fidelitas semel præstita fuit. Cęterum

terum in illis feudis, in quibus il la antea acta non fuerunt, non inueſtituræ renouatio, ſed inueſtitura peti dicitur. *Bal in d. verſ. præterea.* Nec etiam in eis ad inueſtituram petendam, vel fidelitatẽ præſtandam certum tempus lege feudali expreſſum inuenitur. In huiuſmodi tamen feudis, ſi vaſallus abuſiuè anteà inueſtitus à domino ſuo, veram inueſtiturã promittente, legitimè, id eſt, ter interpellatus fuerit, vt fidelitatẽ præſtet: nec poſteà tribus edictis legitimè, id eſt, ſeptem vel decem pluribúsue diebus ſingulis edictis interpoſitis, à curiæ domini ſui paribus, id eſt, conuaſallis citatus iurare voluerit: tanquam cõtumax & ingratus feudo ſibi conceſſo priuari poterit. *arg. d. c. vni. §. 1. Quæ ſuit prima cauſ. benefic. amitt.*

Idque non solùm in eo vasallo q̃ antea abusiuè tantùm de feudo sibi concesso inuestitus fuit: sed & eo quoque vasallo, qui antea veram feudi sibi conçesi inuestituram, id est, possessionem accepit aduersus Glossam, *in d. §. 1. in verb. conuenienti, veram esse credo.* Quemadmodum enim feudi dominus post præstitam fidelitatis iusiurã dum, præcisè cogi potest, vt vasallum abusiuè & verbaliter inuestitum anteà, in vacuam rei feudalis possessionem mittat: *c. vni. in fine, De no. for. fidel.* ità & viciſsim æquum est, vt vasallus anteà verè inuestitus præcisè compelli possit ex continenti, id est, nullo tẽporis spacio indulto, fidelitatem domino suo præstare: vel nisi prę stiterit, à beneficio suo cadat. Cæterum circa supraſcripta admonendi

nendi sumus, neque inuestituræ primùm factæ: neque renouationis eiusdem nomine feudi domino laudemium soluendum esse, vt Baldus tradidit, *in c. qui in Ecclesiarum. De constit.* atq; Ioannes Reinaldi *approbauit. in. c. Imperialem. De prohibita feud. alienat. per Fridericum.*

DE ALIENATIONE *beneficij generatim ac vniuersè.*

Caput IIII.

SI quoque vasallus feudũ sibi concessum illicitè, id est, sine domini sui cõsensu in extraneum alienarit: tãquam ingratus ipsum amittet, *d. c. vni. in princip. iuncto vers. callidus, De prohib. feud. alie. per Frideric. c. 1. De prohibita feud. alien. per Lothar.*

Sed

Sed quoniam in hoc alienationis feudi articulo consuetudinis feudalis iura admodũ diuersa sunt: ea repetere altius, vtile erit. Antiquitus enim in quibusdam Italiæ partibus vasallus integrũ feudum pro suo arbitrio, & sine domini voluntate alienare poterat: atque eo iure, si feudum semel alienatum in posterum recuperari contingebat: in feudi causam recadebat. *c. vni. in princip. Quid iuris sit, si post alien. c. vni. vers. Mediolanenses, De alienat. feud.* In alijs verò Italiæ partibus pro parte tantum feudum sine domini voluntate alienari poterat: idque per libellum, id est, Emphiteusim, vel pignoris obligationem. *c. vni. in. 1 parte, vers. rursus. Quib. mod. feu. amit. d. c. vni. in princip. De alienat. feud. & gloss. ibidem in verb. de libello.* Quo quidem

quidem consuetudinis iure, si in posterum vasallum sine domini voluntate, alienantem: vel eiusdem hæredem sine legitimo hærede mori contingebat, à recipiẽte nec feudi dominum recognoscere volente, ad ipsum dominũ feudi reuertebatur. Quia aliàs reuersum fuisset, si alienatum non esset-idque feudi domino nullo temporis obstaculo obstante. *d.c. vni. vers. etsi clientulus. c. vni. in fine princip. Qualiter olim feud. d. vers. rursus.* Eodem quoque consuetudinis iure in Ecclesiam, quæ nunquam moritur, partis feudi alienatio in perpetuum fieri non poterat: quamuis in priuato hoc ipsum permissum esset. *c. vni. vers inde potest præsumi. De alienati. feudi.* Nec etiam sub vilissima, vtputa duorum denariorum, pensione par-

partis alienatio ad libellũ in ppe tuum fieri poterat: Quoniam in fraudem facta, præsumebatur. *d.c.vni.§.donare, in fine princip. Qua liter olim feud.alien.pot.* Alio verò consuetudinis iure, necessitate impellente, feudi pars inuito domino vendi poterat, *d.c. vni. vers. necessitate, Qualiter olim feud. aliena.* Et rursus alterius consuetudinis iure feudum locari poterat: nisi locatio fraudulenta esset. *d.§.donare, ibi, licet.* Proindè & alterius cõsuetudinis iure: si vasallus totum feudum alienarat, cum tantùm partem alienare poterat, feudum alienatum apud accipientem eo vsque remanebat: donec vasallũ alienãtẽ, vel eius dẽ hęredẽ sine hęrede decidere contingebat. Quo casu adueniẽte, ad dominum redibat. *c. vni. in fine. Apud quem,*

ve

Vel apud etc. Deniq; & alia cõsuetudine proximo agnato feudi paterni alienati redemptio, pro æquali pretio concessa fuit: si alienationi anteà non consenserat, vel in posterum annali silentio (cum sciret) vel expressa refutatione ab eo beneficio exclusus non erat. Agnatis verò non extantibꝰ eadem redimendi facultas feudi domino concedebatur. *d.ꝟ. donare vers. porrò.* Cùm ergo harum omnium consuetudinum similiumque diuersitas in singulis Italiæ ciuitatibus & curijs, circà feudi alienationem multarũ & diuersarum sententiarum causa esset: *d.c. vnic. in princip. Qualit. olim feud. alie.* Cumque sub istarum consuetudinem vmbra, vasalli fraudes & callidas feudorum alienandorum machinationes excogitassent:

tassent: vt eis obuiam iretur, atq; Imperij honor, & expeditionum vtilitas conseruaretur: suprascriptis omnibus alienandorum feudorum cõsuetudinibus reiectis, nouissimè Fridericus Imperator omnem omnium feudorum alienationem generaliter prohibuit: constituitque in posterum, feuda neque in totum, neq; pro parte, neque aliquo alienationis distractionisq; genere sine dominorum voluntate alienari posse: eosq;, qui contra fecerint, feudo alienato priuauit: atque tabellionem, qui super alienatione facta instrumentum sciens conscripserit, amissionis officij & infamiæ, & mutilationis manus pœna affecit. Quinimò & feudorum alienationes prius factas reuocauit: nulliusq; temporis præscriptionem

nem eis, vel alijs in posterum futuris prodesse voluit. *c. Imperialē, in princip. De prohib. feud. alienat. per Frederic.* Quam quidem constitutionem in feudo tam perpetuo, quàm temporali locum sibi vindicare, aduersus Hostiensem, *in tit. De immunit. Ecclesiarum. §. in quātum, vers. sed nec illa immunitas.* atque Panormitanum, *in c. final. coll. 2. De feud.* verius est. Hæc quidem & ante suprascriptam Frederici Imperatoris constitutionem, Lotharius Imperator, minus tamen plenè, constituerat, *in c. 1. De prohi. feud. alienat. per Lotharium*: atque etiam antiqua feudorū consuetudo in feudo in domini curte, vel extra sito receperat. *c. vni. §. final. in fine. Quib. mod. feudum amitt. tit. 1.* Si ergo vasallum contra suprascriptam Imperatorum prohibi-

tionem, integrum feudum quouis modo alienare contigerit: ipsum integrum feudum amittere, dubium non est: Sed an feudi parte tantùm alienata, totum feudũ amittatur, dubitatur: Nam totũ feudum amitti, Baldus putauit, *in d.c. vni. Qual. olim feud.alie.pot.* etiamsi minima rei feudalis porti uncula alienata fuerit. Sed hoc casu partem alienatam tãtùm amitti, Glossa, *in.d. c.vni.vers.amitti. De prohib.fund.alienat.per Freder.* censuit, *per text.in c.vni.De vasal.qui cõtra constit.Lotharij.* Quod & ego post Panormitanum, *in d.c. final. De feud.coll.2.* probo: etiam si maior feudi pars alienata fuerit. Nã pœnam cum delicto commensurari cõuenit. *arg.l.Sancimus.C.de pœnis.* Ob illicitam autem alienationis caussam, integrum feudum,

vel

vel pars alienata vsqueadeò hodie amittitur: vt vasallo non prosit, etiam si ipsum in posterum, vel partem alienatam & semel traditam, ex continenti recuperet. *d.c.vni. in fine princip. Quid iuris, si post alienat.* Alienatione enim facta, statim feudum, vel pars alienata in commissum cecidit. *Aluarottus in d. c. in princip. Quid iuris, si post alienat.* atque culpa commissa per traditionem subsequentem pœnæ executionem secum traxit. *Baldus in d.c. vni in princip.* quã in posterum remitti, feudalis cõsuetudinis rigor non patitur: licet fortè Canonica æquitas aliud expostulet. *Supeculator. in tit. De locat. §. nunc aliqua de Iure Emphiteutico. vers. 96. quæritur. argu. c. si quis presbyterorum in fine princi. De reb. Eccles. alien. vel non.*

DE BENEFICII ALIE-

nandi formis, vt permutatione, oppignoratione, proannuo redditu obligatione, in solutum datione, locatione, ad pias causas donatione, in dotem datione, eaque specie alienationis, quæ fit ob vrgentem necessitatem,

Caput V.

ADEO autem omnis feudorum alienatio hodie prohibita est, vt vasallũ nec feudum permutare posse, Speculator, *in tit. de feud. §. quoniam vers. 32. quæritur*, atque Aluarottus *in d. c. vni. De prohib. feud. alienat. per Frideric.* putarint: quibus & ipse accedo. Nam alienationis verbo & permutatio continetur. *c. nulli, vers. alienationis De reb. Eccles. alie. vel non.* Et quamuis Eccleſiæ res, quæ generaliter alienari prohibitæ

bitæ sunt, *l. inbemus, iuncta Authen. seq. C. de sacrosanct. Eccles.* certis casi bus alienari possunt, *Authen. sed & permutare, cum duab. sequent. C. d. tit.* feudalem tamē rem sine domini consensu nullo casu permutari posse crediderim. Quia rei feudalis directum dominium apud dominum permansit: quo sine facto suo dominus priuari non potest. *l. id quod nostrum. D. de reg. iuris*. Nec etiam pignori vel hypothecæ feudum obligare vasallus sine domini sui consensu poterit. *d. c. vni. in princip. in verb. pignorare. De prohibit. feud. alienat. per Frederic. & gloss. ibidem*. Idque tam in parte feudi, quàm integro feudo hodiè verum esse, aduersus Glossam, *in d. c. vni. De alienat. feud. in verb. de libello*, sētio. Alienationis enim verbo hypotheca vel

pignoris nexus cõtinetur .*l.Sãcimus.C.de reb.alie.nõ alie.* Sed cũ pignus in debitoris dominio remaneat.*l. pignus.C. d. pignor. actione.* Cumque vasallus feudum suum hypothecando, eiusdem possessionem in creditorem non transferat: equum esse videtur, vt eatenus feudi pignus vel hypotheca permittatur, quatenus certa luẽdi & redimendi spes ex vasalli pignorantis vel hypothecantis parte subsit: quod & Baldus probasse videtur, *in.d.l.Sancimus*. Sed & æquius est, feudi fructus pignorari vel hypothecari posse, licet feudũ ipsũ nõ possit: q& Iason, *in l.2. C.de iure Emphyt.* ꝓbauit, & ipse recipio. Sed & feudũ ipsum etiã integrum domino suo vasallum pignori vel hypotheca obligari posse, nulla dubitatio est. Cum domi-

dominus ipse ei rei satis consentire credatur: quod & Baldus, Alvarottus cæteriqúe, *in.d.c. vni. De prohib.feudi alienat.per Fred.* & Pontificij *in.c.1.De feud.* sine controuersia meritò tradiderunt. Vt ergo necessitatibus feudi occasione vasallo emergentibus subueniatur, vtputa vasallus dominũ suum in expeditionẽ sequatur, feudum etiam extraneo pignori vel hypothecæ obligari posse crederem: quod & Baldus anteà sensit, *in.l.2. C. communia* de legat. Sed si secundum suprascripta vasallus sine domini sui consensu feudum suum regulariter hypothecare non potest: consequens est, vt nec sine domini sui voluntate pensionem, seu redditum annuũ super eo cõstituere possit: quod & Guido Papæ ex facto decisum

retulit. *decis.* 183. & ipse. probo, Nec à fortiori vasallus feudum suum in solutum dare poterit: quod & Baldus tradidit. *in d.c.vni. De prohib.feud.alien.per Fred.* Datio enim in solutum alienatiõis species est, atque venditioni æquiparatur. *l.apud Celsum. §. si quis vers.authoris. D.de doli mali except.* Sed an feudum locare vasallus possit? Et ad modicũ tempus, puta quinque vel nouem annos, posse arbitror. Alienatione enim prohibita locationem ad modicum tempus prohibitam non censeri. Iason rectè tradidit. *in l. 3. C. de iure Emphyteut. arg. Clem. 1. De reb. Eccle. non alien.* nisi forte in tam potentem reifeudalis locatio fieret, vt eam non facilè recuperandi, timor esset. Baldus *in l. manumissiones. D. de instit. & iure.* Cęterum ad longum,

longum, vel longiſsimum tempus vt puta X. vel X X. vel XXX, vel plurium annorum vaſallũ regulariter feudum alienare non poſſe aduerſus Ia. Fabri, *in.θ. adeò. Inſtit. de locat. & conduc.* crederem. Huiuſmodi enim locationem (cum propriè emphyteuſis ſit) veram alienationis ſpeciem eſſe, Panormitanus, *in c. ad audietiam De rebus Eccleſ. alien. vel non*, atque Felinus, *in c. quæ in Eccleſiarum De conſtitut.* rectè ſenſerunt. *d. l. final. verſ. ſimilique modo. C. de reb. alien. nõ alien.* Idque verum eſſe Baldus tradidit, *in d. c. vni. De prohib. feud. alie. per Fred.* etiamſi in locatione expreſsè actum probaretur, ne vti-ledominiũ penes vaſallũ locatorẽ exiſtens, in conductorẽ tranſferretur. Quam ſententiam aduerſus Felinum, *in d. c. quæ in Eccle-*

siarũ, ipſe recipio. Sed nũquid vaſallus ſine cõſenſu dñi ſui feudo ſuo ſeruitutẽ vel acq̃rere vel imponere poteſt? Et acq̃rere quidẽ certũ eſt, imponere verò nõ itẽ *c. vni. ℔ ex cõtrario. De inueſ. de re alie. fact.* Seruitutis enim acq̃ſitio, feudi cõditionẽ meliorẽ facit: Seruitutis verò impoſitio deteriorẽ. Cũ itaq; feudi alienatio generaliter ꝓhibita ſit: ſeruitutis cõſtitutio in eo ꝓhibita intelligetur. *d. l. final. verſ. ſimiliq̃ modo C. de reb. al. nõ alie.* Et ideò ſi fortè vaſallus feudo ſuo ſeruitutẽ ĩponi paſſus fuerit: vaſallo quidẽ donec feudũ poſſederit, ſeruitus ĩpoſita obeſſe poterit: legitimis verò ſucceſſoribꝰ, ad quos inteſtatæ ſucceſsionis iure feudũ in poſterũ ꝑtinebit, vel dño ad quẽ in poſterũ ex aliqua cauſa feudũ reuerti cõtigerit, non nocebit

bit:etiãsi ꝑ lõgissima tẽpora pdu rarit.*d.c.vni.in fine princ. De inuest. de re alie.facta.* Si quoq; seruitio à vasallo hoĩbus feudo subiectis re misso,feudũ in posterũad dñm re uerti cõtingat:tali remissioni do minus stare nõ cogetur.*DD. in d. c.vni.in fine prin.De inuestit. de re ali. facta.* Si ergo secundum suprascri pta vasallus seruitutem, vel vrba nam,vel rusticam feudo suo sine dñi volũtate imponere nõposset: cõsequẽs est, vt nec in eo vsũm fructũ,sine dñi sui volũtate cõsti tuere possit.*DD.in d.c.vni.De ꝓhib. feud. alien per Fred.* Rerũ tamẽ feu dalĩu fructꝰ ꝑ tẽpore,quo feudũ apud eũ remanebit,vasallus vẽde re poterit : *Aluarottus & Præposi tus in d.c. vni.de prohib.feu. alie. per Fred* . Adde quod sicuti antiqui tus,*c.vni.§.donare.Qualiter olim feu.*

amitt.

amitt. ita & hodie vasallus feudũ suum vel alteri donare, vel in animæ suæ salutem Ecclesiæ, Xenodochio, alijsque pijs locis legati vel fidei commissi titulo sine domini sui consensu relinquere nõ poterit. *d.c.vni.in princi. ibi. vel pro anima iudicare, De prohib.feud alie. per Fred.* Et quemadmodum olim vasallum feudum suum in dotẽ filiæ suæ dare non potuisse constat. *ff.donare:* ità nec hodie posse, post glossam, *in verbo alienandi, ibi, nec feudum in c. quæ in Ecclesiarum De constit.* omnes vno ore senserunt, *in d.ff.donare,* Et rectè: Datio enim in dotem vera alienationis species est: nam res in dotis causam data penes dantem non remanet: sed per traditionem in accipientis dominium transit: etiãsi à patre filiæ in eiusdem potesta

te ex-

te existēti, tradita sit. *l. Pompinius Philadelphus, D. famil. ercis.* ità tamen, vt matrimonio constante mariti esse dicatur. *l. dote ancill. C. de rei vindicat.* Ex quo colligere licet, patrem feudum suum filiæ suæ in dotem ea lege dare nō prohiberi: vt post mortem suam feudum ad legitimos successores, si qui supersunt, vel his deficientibus ad dominum ipsum reuertatur: quod & Iohannes Andreæ, *in c. 2. De feud.* &, ibidem, Panormitanus, Felinus, *in d. c. quæ in Ecclesiarum.* atque Baldus, *in d. c. vnic. in princip. De prohib. feud. alien. per Fred.* senserunt, & ipse probo. *c. Imper. De donat. inter vir. & vx.* cū in iure scripto dotis causam semper & vbique præcipuam esse cō stat *l. 1. D. soluto matri. Authe. res quæ C. Communia de legat.* Sed an propter

pter famis, vel aliam necessitatē vasallus feudum suum sine domini sui consensu alienare poterit? Et non posse Baldus tradidit quē alij sine controuersia sequuti sunt. *in d.c. vni. Qual. olim feud. alien. po. per text. in c. quæ in Ecclesiarum. De constit.* Verum ego traditionē ità temperandam existimo: vt vera sit, si necessitas, quam vasallus patitur, non ità vrgens sit. Quamuis enim vasallus feudum suum alienando directo domino quod penes dominum remansit, se non immisceat: quia tamē feudi dominus in feudo superioritatis ius habet: hoc casu vasallum sine eiusdem consensu feudum suum alienare non posse, probabile est. *arg. c. si quis propter necessitatem, De furtis.* Verum si fames, vel alia necessitas adeò vrgens sit, vt

nisi

nisi eidem per feudi alienationē subueniretur, vasallo, vel proli-bus, vel eiusdem vxori vitæ periculum adferre possit: hoc casu vasallum ad huiusmodi necessitati subueniendum, feudum suum impunè alienare posse crederem. Nam & videmus huiusmodi necessitatem actum alioqui improbissimum, probabilem reddere. *l. final. C. de patrib. qui fil. distrax. l. vt vim D. de iustit. & iure. Elem. vni. in princip. De homicid. volunt. vel cos.* Ergo & alienationis actum non ita probabilem, reddit probabilem.

DE TRANSACTIONE

super feudo, de in arbitrum, & arbitratorem compromisso. de alienatiōe, quæ ipso iure nulla: de ea, quæ à domino fit.

Caput

Caput VI.

SED nunquid vasallum sine domini sui consensu cum aduersario suo super feudo transigere dicemus? Et posse oẽs vno ore senserunt: si modò transigendo feudum pe nes se retineat: vel apud aduersarium suum pristinum possessorem rilinquat, *arg. l. si pro fundo. C. de transactioni.* Si tamen vasalliiu ra liquida essent: hoc casu ipse sine domini sui licentia transigendo feudum suũ penes aduersariũ suum relinquere non posset: Quia fraus præsumeretur. *Iacobinus in tract. suo, de feud. in verb. & cũ puto. de non alien. collo. 5.* Cæterum an feudum suum in aduersarium suum, vel alium transferendo, vasallus sine domini sui venia transigere possit, magnoperè dubitatur.

tur. Sed reiectis Doctorum noſtrorum longis inuolucris, *in d.c. Imperialem c.vni. De controuerſ. inter vaſall. & alium de benefic.* ipſum etiam in domini ſui ſuorumque ligitimorum ſucceſſorum præiudicium tranſigere poſſe crederē: dummodò ſine fraude, id eſt, ex probabili dubiæ litis timore id ageret. *d.c.vni. ibi, vel cum aduerſario. De controuerſ. intra vaſall. & alium. c.vni. & ſi vaſallus, in fin. Si de feu. defunct.* Pecunia autem à vaſallo trā ſactionis nomine recepta, nō feudi, ſed ipſius propria erit. *d. & ſi vaſallus in fine.* Adde etiam vaſallum ſine domini ſui conſenſu ſuper feudo in arbitros compromittere poſſe. Quia conſuetudinis feudalis lex arbitros de feudali controuerſia cognoſcere: eamque ſua ſententia decidere, permiſit.

c.vni.in fine princip.vers.si autem, in verb.vel arbitro.De leg.Conrad.c.vni. ibi,vel arbitrum. De inuestit.in mar. facta.c.vni.ibi,vel arbitro, An apud iud.vel.iur.dom. quod & Hostiensis *in sua Summa,in tit. De arbitris.& de qua re,vers.sed nunquid vasallus.Speculator,in tit.de arbitris.& restat.vers. sed nunquid vasallus,* & alij frequentiori calculo tradiderunt,& Iacobinus meritò secutus est.*in d.loco.* In arbitratorem autem vasallum sine domini venia super re feudali compromittere non posse,omnes sine controuersia senserunt, *in d.vers.si autem.* tum quod corã arbitratore iudicium nullum sit. *DD.in c.Qũintauallis De iureiur. & in l.1.D.de recept arbitr.* tum quia lege feudorum nulla arbitratoris mẽtio facta inueniatur.Sed quod suprà traditum est, vasallum propter

pter alienationem à se illicitè factam, feudo suo priuari: an eo casu locum sibi vindicabit, quo alienatio viribus non subsistit: Et nõ vindicare, Baldus *in l. 2. C. de Episc. aud.* atque Aluarottus, *in c. vni. De alienat. feudi*, existimarunt: Quum ex nihilo nihil subsequi soleat. Sed ego contra sentio: nã aliàs Friderici Imperatoris cõstitutioni, priuatiõis feudi pœnãva sallo imponẽti locus nõ esset: Cũ cõstet eam oẽs alienationis feudi species tam prẹteritas quàm in posterum futuras anullasse, atque in irritum deduxisse, *d. c. Imperialem, in princip. vers. nos autẽ.* Quamuis ergo feudi alienatio sine domini consensu in extraneũ facta ex suprascriptæ constitutionis dispositione viribus non subsistat, *c. quæ in Ecclesiarum. in. 2. par-*

te. De constit. quia tamen propter recuperandi difficultatem, domini interest eam factam non esse: ideo suprascripta constitutio vasallum eam de facto & inutiliter celebrantẽ, amissionis feudi pœna punire voluit. Sed quid è contra, an dñs sine vasalli sui voluntate, feudũ ipsum alienare poterit? Et non posse certum est: quoniã vasalli interest non mutari dominum. *c. vni. ff. ex eadem lege. De lege Conradi. d. c. Imperialem. ff. firmiter. in fine. c. 2. Quo tem. mil. inuest. pet. deb.* Si tamen dominus totam Curiã, seu territorium alienaret, hoc ex præsim acto, vt & feudalia etiam iura vnà cum curia alienarentur: hoc casu feudi alienatio à domino, etiam vasallo inconsulto atque inuito, facta, valeret. *d. ff. ex eadem lege. c. vni. in princip. De capit.*

qui

qui cur vend. Sicut & viceuersa feudi alienationem à vasallo etiam sine consensu domini factam viribus subsistere crediderim: si vasallus generaliter cum omnibus alijs suis bonis feudum suum nominatim alienarit. *c. vni. §. licet vasallus, vers. generali, Si de feud. defunct.* Multa enim per vniuersitatem transeunt, quæ sola alienari non possent. *l. quidam. D. de acquir. re do. l. 2. D. de fundo dota.* Sed si regulariter dominus sine vasalli sui consensu feudi ius alienare non potest: consequens est, vt nec vasallum inuitum alteri delegare possit. *arg. tot. titul D. de nouat. & deleg.* Operarum tamen vsus, seu commoditas, sicuti & in liberto, ita & in vasallo, eo etiam inuito & inconsulto, alteri delegare potest: citra tamen mutationem vel pa-

troni, *l. si non sortem. §. libertus. D. de condict. indeb.* vel domini: hoc est retento nihilominus iuramenti vinculo. Quod enim onus vasallo iniungetur, si operas, quas mihi præstaturus est, alteri, me iubẽte, præstet? Quidergo si dominus sine vasalli sui voluntate, contra legis feudalis prohibitionem, feudum alienet: an proprietate sua priuetur? Et non priuari, Baldus rectè sensit, *in c. 2. Quo tempo. mil.* Quamuis enim contrariorũ eadẽ sit disciplina, *§. 1. vers. videmus. Instit. de his, qui sui vel alie. iuris*, atque ex omni felonia, qua vasallus feudo priuatur, dominus proprietate sua priuetur. *c. vni. Qual. dom. prop. feud gloss. in c. vni. De form. fidel.* hac tamen in re non idem in domino, quod in vasallo respõdebimus: cùm diuersa ratio aliud suadeat,

suadeat, atque in interpretatione legum pœnæ molliendæ potius quàm exaggerandæ sint. *l. penult. D. de pœnis, c. odia, De reg. iuris lib. 6.* Si enim rei emphyteuticæ dominus, dominium suum dere ctum sine emphyteutæ consensu alienando, à iure suo non cadit: vt Doctores nostri vno ore fassi sunt, *in l. 3. in fine. C. de iure Emphit.* Cum tamen emphyteuta sine domini sui consensu meliora tiones suas vendendo, & ius suũ emphyteuticum in alium transferendo, iure emphyteutico cadat. *d. l. 3. in fine.* Quantò minus feudi dominus, feudum ipsum sine vasalli sui consensu alienando, proprietate sua priuabitur: cùm feudi dominus min⁹ debeat vasallo suo, quàm rei emphyteu ticæ dominus, emphyteutæ suo.

Siquidem hic vel pretio ſtatim ab initio numerato, vel annuam pẽſionem præſtando, rem emphyteuticam à domino ſuo conſecutus ſit: *l.2. & ibi dd.C. de iure emphi.* ille verò feudum ſuum gratis cõſecutus ſit. *d.c.1. in fine. De feud.dat. in vic.leg.commiſſ.* Proinde lõge iuſtior ea pœna eſt, quæ ob feloniã commiſſam delinquenti infertur: quàm quę propter alienationem factam, alienãti imponitur: ideoque ad feudi dominum facilius extendi potuit.

DE NECESSARIA BENEficij extraneo facta traditione: vt illius adimendi ſpecies locum habeant: & de ijs, quorum conſenſus approbatioque ad alienationem requiritur: & de ratihabitione tacita & expreſſa.

Caput

Caput VII.

CAEterum admonendi sumus in supraſcriptis omnibus alienationis ſpeciebus, vaſallum ſine domini ſui cõſenſu feudum ſuum alienantem, feudo alienato non antea priuari, quàm alienatione antea celebrata, ad traditionem realem, id eſt, corporalem poſteà proceſſerit: quod & Baldus tradidit *in c. vni. in princip. verſ. aut ſi libellario. Quib. mod. feud. amitt.* Nam traditionibus, non nudis pactis rei feudalis vtile dominium poſſeſſioque transferuntur. *l. traditionibus C. de pactis.* Cum ergo conſtet, quod eam rem generaliter, quam poſsidemus noſtro nomine, poſsimus alieno nomine incipere poſsidere *l. quod meo, in princi.* D. *deacquir. poſſeſſ.* Cõſequens eſt, vt idem fore cenſea-

mus, si vasallus illius, in quẽ feudi alienatio facta est, nomine feudum alienatum, se possidere constituerit: quod post Paulum de Castro, *in l. 1. §. si rem. D. depositi*, Iacobinus meritò probauit, in tractatu suo, *De feud. in verb. & cum pacto de non alienando, col. 3.* Admonendi quoque sumus suprascripta omnia eo casu locum sibi vẽdicare: quo feudi alienatio in extraneum facta est. Nam in eum vel eos, qui aliàs tanquam in proximiori gradu existentes vasallo defuncto intestatæ successionis iure feudum consecuturi essent: vasallus etiã sine dñi sui volũtate feudũ suũ alienare nõ prohibetur. Quoniã ea alienatio refutatio potiꝰ q̃ alienatio dicenda est. *c. vni. in prin. vers. & licet. De alie. pater. feud.* Ex quo colligi potest, quod si feudum,

dum, de quo ageretur, nouum esset: non nisi in filios, aliosque descendentes alienari posset, in agnatos verò non item. *d. vers. & licet.* Quoniam intestatæ successionis iure feudum nouum agnatis non defertur. *c. vni.* §. 1. *vers. sin autem*, De *his, qui feud. dare poss. c. vni. in princip.* De *benefi. fratr.* Verum in extraneum non nisi domini voluntate, feudi alienatio permissa est. *c. vni in princip. ibi, sine permissione.* De *prohib. feud. alienat. per Frederich. in vers. si vero in princ.* Quinimò & si legitimi feudi alienandi successores superstint, eorundem quoque consensum in eam rem accedere oportet. Quoniam certa spes est, feudum ad eos aliquando peruenturum. *c. vni. in princip.* De *alien. pater. feud.* Et ideò, si ex domini voluntate,

præter

præter tamen legitimorum successorum consensum, feudum in extraneum alienatum fuerit: poterunt legitimi successores huiusmodi successores huiusmodi alienationem intra XXX. annorum tempus reuocare. *glossa communiter approbata in c. si quis, vers. Titius in fine, in verb. per annum. Si de feud. defunct. conten. sit.* Si verò nō in extraneum, sed in remotiores successores, præter proximorum successorum consensum, feudū alienatum fuerit: non nisi intra tempus anni ex scientiæ demum die computandi, alienatio facta reuocari poterit. *d. vers. Titius, & glossa ibid.* Idemque à fortiori erit, si in vnum tantum ex eis, qui proximum successionis gradum simul obtinent, præter reliquorum consensum, feudum alienatum

tum fuerit. *arg.d.verſ.Titius.* Nam reliquos in eodem gradu exiſtentes, qui in eã rem conſenſum ſuũ non accommodarunt, huiuſmodi alienationem præter ſuum cõſenſum factam, pro illis portionibus, quas aliàs vaſallo defuncto proximitatis nomine conſecuturi erant, reuocare poſſe, Baldus exiſtimauit. *in c.vni.De vaſal.qui cõtra conſtit.Lothar.arg.d. verſ.Titius.* Sed quid, ſi ex omnium proximiorum cõſenſu, feudum in remotiores alienatum fuerit: idq; prçter eorum conſenſum, qui intermedijs gradibus conſiſtunt : an alienatio facta ab eis reuocari poterit? Et poſſe Iacobinus, *in præd: loco, poſt Aluarottum, in c.vni.in principio.De alie.pater.feud.* putauit *argu. d.verſ.Titius*, quod & ego probo. Cum enim ipſorum quoque interſit,

terſit, eorundem ſimiliter cõſen-ſum requiri debere, ratio dictat. *arg. l. final. in fine. C. de author. præſt.* Sed an ſupraſcriptis omnibus ſimilibusque caſibus, quibus vel domini, vel legitimorum ſucceſſorum conſenſus ad feudi alienationem neceſſarius eſt: eorundẽ conſenſum alienationem factam ſubſequi ſufficit: an alienationẽ factam præcedere debebit? Et ſufficere, putâri, ſi eam ſubſequatur. *d. c. vni. in princip. ibi. vel poſtea ratũ habentibus. De alienat. pater. feudi* quod & Andreas de Iſernia meritò probauit. *in d. c. vni. De prohib. feudi alienat. per Fred.* Ratihabitionem enim retro trahi, & mandato comparari, certum eſt. *l. finali. C. ad SC. Macedonianum.* Sed vt feudum ex domini, vel legitimorũ ſucceſſorum conſenſu alienatũ dicatur:

dicatur: an eorundem expressus consensus necessarius erit: an tacitus sufficiet? Et tacitum suffice re, Glossa existimat, *in c. 1. in verb. permissione, De prohib. feudi alienat. per Lothar.* quam huius argumenti interpretes communiter secuti sunt, *in d.c. 1.* Ego aduersus Ioãnem Reinaldi, & Bertrandum Capreolam, *in d.c. Imperialem*, eam sententiam veram esse credo: si vel feudi dominus, vel legitimi successores ipsi alienationi interfuerint: & cum contradicendo alienationem ipsam impedire potuerint, tacuerint tamen: Hoc enim casu præsentia scientiaque domini, vel legitimorum successorum vnà cum taciturnitate tacitum eorum consensum inducunt. *regula, qui tacet. De regul. iuris lib. 6. & dynus, ibid. glos. communiter*

appro-

approbata, in l. Caius. D. de pignorat. actione. Verum si vel feudi dominus, vel legitimi successores alienationi nõ interfuerint, etsi eam celebrandam præsciuerint, vel posteà celebratam intellexerint, nec contraxerint, sed tacuerint, ea patientia & taciturnitate alienationi vel celebrandæ, vel celebratę consensum suum adhibuisse non credentur[1]. *Bartolus in l. quo enim. vers. rem. D. rem rat. habe.* Hocque casu Iohannis Reinaldi, & Bertrandi opinionem veram esse puto. Illud autem constat, cõsensum à domino in feudi alienationem præstitum, ipsi in dominio directo nullum præiudiciũ adferre: Cùm constet vasallum in iuris sui alienationem tãtummodò à domino suo consensum requirere, quod Andreas de Iser-

nia

nia tradidit, *in d.c.vni. De prohib. feudi alienat.per Frede.*& Aluarottus *in d.c.vni.*aduersus Baldũ, *in c. vni.§.Præterea, Quibus modis feud. amitt.*merito recipit.

DE IIS CASIBVS, καὶ τῶν μὴ τοθέσεων *quibus beneficij alienatio sine consensu domini, à beneficiario, etiam in extraneum rectè fieri potest.*

Caput. VIII.

CAEterum si in feudi inuestitura dominus hæc verba expressisset: Hanc rem tibi in feudum concedo, pro te, tuis successoribus, & quibus concedere seu in quos alienare volueris: vasallũ etiam in extraneum, & sine domini sui consensu feudum taliter sibi concessum impunè alienare

posse, Baldus, *in l.1. quæst. 45. D. de rerum diuis.* atq; Salycetus, *in l. fin. D. de iure emphyt.* tradiderũt: quod & Iacobinus *in tractatu suo, in verb. ita quod ipse vasallus*, aduersus Speculatorem. *in tit. de locat. §. nũc aliqua, vers. nonagesimo quartò quæritur*, recepit. Et rectè: Vt enĩ supra scripta verba aliquid operentur, per ea vasallo liberam alienandi voluntatem àdomino tacitè concessam, intelligere debemus. Idé sine dubio cẽsendum esset, si feudi dominus in inuestitura hæc verba protulisset: Concedo tibi hanc rem in feudum, ità quod tu hæredes tui, & cui donare concederéue volueris, ipsum habeant & possideant, *c. vni. De feud. non habent. prop.* Secus foret, si feudi dominus ita dixisset: Et cui in feudum dare volueris. Hoc enim casu feu

ſu feudum conceſſum propriam feudi naturam haberet: illo verò non item. Si quoque vaſallus ſine domini ſui licentia feudum ſuum in extraneum, hac conditione adiecta, alienarit: Si domino meo placuerit, vel ſaluo domini mei beneplacito, à ſupraſcripta amiſsiõis feudi pœna excuſabitur: q Baldus tradidit, *in c. vn. θ. hoc quoque. De ſucceſſ. feudi.* atque Iacobinus ex facto quondam ſibi propoſito ſe reſpondiſſe, atque obtinuiſſe retulit. *in tractatu ſuo, in verb. & cum pacto de non alienando.* Conditio enim actum, cui adijcitur, ſuſpendit, eiuſdemque defectus ipſum viciat, *l. cedere diẽ, verſ. vbi ſub conditione. D. de verb. ſignifi. l. qui abſenti. θ. 1. D. de acquir. poſſeſſ.* Et ablatiui abſolutè poſiti, in cõditionis vim reſoluuntur. *l. à teſta*

tore.D.de.condit. & demonst. A supraſcripta etiam amiſsionis feudi pœna vaſallus excuſabitur: ſi ſine domini ſui conſenſu his verbis feudum alienauerit: Vendo tibi feudum meum in quantum de iure poſſum,& non aliter. *Baldus in d.verſ.hoc quoque*. Idemque eſſet,ſi hæc verba exprimeret: Vendo tibi feudum meum, domini mei,& meorum legitimorũ ſucceſſorum iure ſaluo: & ſubijceret,Et non aliter, alióue modo vendere intendo, *Baldus in c. vni. §.finali.in fine.Quæ fuit prima cauſſ. benefic.amitt.* Niſi fortè in eum alienarit, à cuius manibus feudi poſſeſsio,vel nullo modo,vel difficulter recuperari poſſet. Hoc enim caſu in vaſallo ſine domini ſui conſenſu alienante, & tradẽte fraus præſumeretur: quæ ſupra

praſcripta pœna puniretur. *Baldus in d.§.hoc quoque & Aluarott.in d.c. vni. in princi. De ſphi. feud. alie. per Fred.* Proteſtatio enim,q̃ cõtrario ſpteſtantis facto tollitur, ſpteſtãti ſpdeſſe nõ põt. *Ionães Andreæ, & dd.in c.ea te.De iureiurando.* Et ideò ſi vaſallus domini ſui honore ſaluo,feudum ſuum ſine eiuſdem conſenſu alienaret & traderet:à ſupraſcripta pœna non excuſaretur.Idemque eſſet,ſi domini ſui cõſenſu ſaluo,feudũ ſuũ alienaret & traderet. Quia ante alienationẽ,vel in ipſo alienationis actu domini ſui conſenſum requirere tenetur.*Baldus in l.vnic.C. de his,qui pœnæ nomine.* Idem denique,ſi ſimpliciter domini ſui,vel legitimorum ſucceſſorum ſuorũ iure ſaluo, feudũ ſuum alienaret & traderet:vt Baldus, *in d. c. vni.§.*

finali. in fine, Quæ fuit prima cauſ. benef. amit. tradidit, & Panormitanus retulit, *in c. 2. De feudis* Porrò ſi vaſallus feudum ſuum, feudũ eſſe ignorans, ſed allodium credens, alienarit : eo non priuabitur. *c. vni. θ. ſi vaſallus in princip. Si de feud. defunc. cont. ſit. c. vni. in princ. De cõtrouerſ. inter dominium & empt. feud.* Quod verum intellige, ſi probabili, vtputa alieni facti ignorantia vaſallus ductus feudũ ſuũ alienauerit, *ar. l. fin. D. p ſuo.* Verũ ſi facti ꝑprij, vel iuris ignorãtia duct⁹, vaſall⁹ id feciſſet, à ſupraſcripta amiſſiõis feudi pœna nõ excuſaretur. *arg. l. quiſq. C. de reſcinde. vẽd. l. Cõſtitutionis. C. de iuris & facti ign.* Quod verũ eſſe Bald. atq; Aluarottus voluerunt, *in d. c. vni. De cõtrouerſ. inter dñm & vaſ.* etiãſi vaſall. vel viginti qnq; annorũ minor, vel miles, vel mulier fuerit.

Sed

Sed cõtrariũ Glos. sẽsit, *in d.c. vni. in verb. Igno. infin.* q̃ alij oẽs frequẽtiori calculo secuti sunt. *in d.c. vn.* Ego Baldi & Aluarotti sententiã veram esse putarim, si supradictę Personæ facti sui proprij, nec admodum antiqui ignorãtia ducta feudum suum alienassent: vt puta cum sua industria ipsum antea acquisiuissent. *argu. l. plurimũ. D. de iuris & facti ignor.* Verum si iuris errore ductæ, hoc fecissent, contra censerem. Nam non solũ in damno vitando, de quo hoc casu agitur: sed & lucro quoque captando ipsis ius ignorare permissum sit. *l. regula, in princip. D. de iuris & facti ignorant.* Sed si de vasalli ignorantia dubitetur, an ea in re ipsius iuramento standum erit? Et standum esse certum est, si à feudi domino ipsi legitimè prius delatum fuerit. *arg. d.c. vni.*

ibi.si vasallus iurar.pot.& arg.θ.item si quis Instit. De actionib. Sed non aliter dominus vasallo iusiurandum deferre cogetur: nisi aliquibus coniecturis vasallus iuuetur. *DD.in d.c.vni.* Vt quia defuncto vasallo, qui diu non seruierat, succesit: *arg.l.qui in alterius. D. de reg. iuris.* Cæterum si aduersus vasallum præsumptiones aliquæ extarent: vt quia à feudi domino pro seruitijs aliquando requisitus fuisset, iusiurandum non esset: ne periurio viam aperiri contingeret: quod Iacobus de Beluiso, Andreas de Isernia, & reliqui rectè senserũt, *in d.c. vni.* Vbi autem feudum à vasallo ignoranter alienatum constat: emptoris arbitrio & electioni committitur, vt ipsum vel vasallo authori suo, vel si maluerit domino restituat: idq;

siue

siue à domino siue à vasallo conuentus fuerit. *d.c. vni. De controuer. inter dom. & vasal.* Si tamen vasallo restituat, ab eo etiam inuito vel precium numeratum, vel id quod sua interest consequetur. *d. vers. si vasallus. in. princip. in c. vni. Si de feud. defuncti cont.* Sin domino restituat, nec à vasallo nec à domino quicquam cõsequetur, sibiq́ue imputabit, quod vasallũ cum suo dispendio dimittere: atque dominum sine emolumento eligere maluerit. *arg. l. quod quis. D. de regulis iuris* Poteritq́; hoc casu vasallus feudum à domino suo recuperare. Quia per alienationẽ ignoranter factam, ipsi apertum non fuit: tumq́ue emptor aduersus vasallum ad pretium numeratum consequẽdum, regressum habebit: vt Baldus eleganter cen-

fuit, *in d.c.vni.arg.l. bonam fidem. D. de actionibus. & obligat.* Denique si alibi ea specialis cõsuetudo inoleuerit: vt vasalli feuda sua, etiã in extraneos, & sine domini sui consensu liberè & impunè alienare possint, valebit: & suprascriptæ Imperatoris Frederici constitutioni in eo loco, in quo inoleuerit, derogabit. *arg.l.de quib. vers. inueterata. D. de legib. iũcta l. sed ea D. eod.* Nec huic decisiõi Imperatoris Fred. cõstitutio repugnat. *in d. c.vn. inprin. ibi. nulla temporis præscr. De prohib. feud. alienat. per Frederic.* Nam licet longi temporis præscriptio ad consuetudinem inducendam necessaria: nõ tamen ibidem cõsuetudo de feudis sine dominorum consensu in extraneos alienandis tollitur : sed simplex præscriptio alienationis feudi, sine do-

ne domini consensu in extraneũ anteà factæ, vel in posterum faciẽ dæ. Hincque est, quod in multis partibus ea specialis consuetudo recepta sit: vt vasallus domino suo inuito, vel ignorante, feudũ suum etiam in extraneum impune alienare possit: nisi fortè dominus ipse precium, quod ab extraneo vasallo offertur, ipse numerare velit. *Ioannes Fabri. in.* §. 1. *in fine. Instit. De rerum diuisione.* Quæ tamen consuetudo ea ratione non accipienda videtur, quod in magnam Imperij vel Regni perniciem tendat, eiusdemque vires non mediocriter extenuat. *d. c. vni. in princip. De prohib. feud. alien. per Frederic. d. c. vni. in princip. De prohib. feud. alienat. per Lothar.*

DE

DE LAVDEMIAE SOlutione inuestiturae tempore. De euictione, cuius nomine beneficiarius venditor emptori tenetur. De vnius beneficij inter cohæredes diuisione.

Caput IX.

SAne quibus casibus feuda à vasallis licitè alienata fuerint, si is in quem alienatio facta est, à feudi domino de eo inuestiri cupiat, inuestiturę nomine laudemiam ipsi persoluere debebit. *arg. l. final. vers. & ne auaritia. C. de iure emphyt.* Quid ergo? an feudo empto & à vasalli venditoris domino, vel eiusdem legitimis successoribus secundũ suprascripta reuocato, & euicto: emptor contra vasallum euictionis nomine, ad pretium numeratum

tum recuperandum, vel si maluerit, ad id quod sua interest consequendum, regressum habebit? Et si bonæ fidei emptor sit, hoc est, feudum à se emptum, feudum fuisse ignorarit, regressum habere certum est. *d. vers. nos autem. in. fine, & glossa ibid. in verb. ex empto, ibi, sed nunquid, arg. l. empti. C. de euictio.* Sin autem malæ fidei fuerit, regressum non habere, Glossa respondit. *in d. vers. nos autem. & d. c. 1. in verb. pretia. De prohib. feud. alien. per Lothar.* Idque verum esse existimauit, etiamsi vasallus venditor, stipulatione interposita, de euictione ipsum expressim cauisset. *d. glos. in verb. ex empto, ibi, nec puto.* Cum enim venditio, quæ principalis est, tanquam contra legum interdicta scienter celebrata viribus non subsistat: conse

quens

quens est stipulationem super euictione, quæ accessoria est, inter positam nullius esse momenti, *Baldus in d. vers. nos autem arg. l. non dubium. C. de legibus.* Nec tamē hoc casu vasallus venditor pretium à malæfidei emptore receptum, sibi retinebit. *d. c. 1. vers. si quis, De prohib. feud. alienat. per Lothar.* sed fisco applicabitur, *arg. l. lucius. D. de iure fisci.* Sed quid si vasallus, qui scienter & illicitè feudum suum alienarit, ita inops & exhaustus sit, vt nulla spes reliqua sit bonæ fidei emptorem, pretium numeratum ab eo vnquam recuperaturum: nihilominus feudi dominus feudum per alienationem illicitè factam sibi apertum commissi iure ab eo auocare poterit? Et non posse hoc casu, æquitatis ratione ductus, censerem. *argu. l.*

ideo-

ideoq́, cum l. seq. D. de dolo malo. Nisi fortè pretium numeratum ipsi refundere vellet. Cum enim dominus de lucro captando certet: bonæ fidei verò emptor de damno vitando contendat: eius potius rationem habendam æquitas dictat. *arg. l. nam hoc natura. D. de condict. indeb.* Ideoque hoc casu ex clausula generali, Si qua mihi iusta causa esse videbitur, ei subueniendum esse putarim. *arg. l. 1. D. ex quib. cau. ma. in integ. resti.* Ex quo colligere licet, quod si vasallus, qui feudum suum ignorans alienauit: ipsum posteà à bonæ fidei emptore reuocet. *d. l. si vasallus* nõ anteà bonæ fidei emptorem ad feudi restitutionem teneri: donec de eo, quod sua interesset, à vasallo sibi satisfactũ fuerit: præsertim si de eiusdem fide, vel facultatibus

tatibus dubitet. *Baldus in d. verſ. nos autem in gloſ. ex empto.* Sed cum diuiſio alienationis vmbram habeat: *arg. i. inter omnes C. de præd. & alijs reb. mi.* an feuda diuidi poſſe dicemus? Et regalia, ſeu dignitatũ feuda, qualia ſunt feuda Ducatus Marchionatus, Comitatus, diuidi non poſſe, Fredericus Imperator ſãxit. *d. c. vni. ℣. firmiter, verſ. præterea, De prohib. feud. alienat. per Freder.* Si tamen ſupraſcripta maiora feuda ſtatim ab initio pluribus conceſſa eſſent, in poſterum diuidi poſſe crederem. Quoniam eã aptitudinem ex tacita concedentis mente ſtatim ab initio recepiſſe crederentur, *Socinus quæſt. 165. incip. viſis inueſtitutis.* Idemq; à fortiori eſſet, ſi in eam rem & omnium cohæredum, & domini feudi expreſſus conſenſus acceſſiſſet.

siſſet. *ar. d. c. vni. ibi, ſine permiſſione.* vel ex ſpeciali principis feudum concedentis priuilegio eiuſdem diuiſio antea conceſſa eſſet. *Aluarottus in d. verſ. præterea.* Si quoque alibi vel ea conſuetudo inoleuiſſet, vel id ſtatutum conditum eſſet, vt maiora ſine domini conſẽſu diuidi poſſent : ſupraſcriptæ Imperatoris Frederici ſanctioni derogaret. *Baldus, Aluarottus, & alij omnes in d. verſ. præterea:* Si modò ſcientibus & patientibus principibus inoleuiſſet, vel conditũ eſſet . *Aluarottus iam d. loco, Socinus in d. conſil. Ioannes Andreæ in addit. ad Speculat. in Titulo de feud.* Hincque & in tota Italia, & in multis ſuperioris Germaniæ partibus etiam feuda maiora hodie diuidi dicemus: in Gallia verò atque in inferiori Germania rarius

Siquidē ibi ſolus primogenit⁹ primogenituræ iure, ea ſibi vēdicat. Sanè ſupraſcriptorū feudorū cōmoditatem & redditus diuidi, Frederici conſtitutio non prohibuit. Et ideo poterit regale, ſeu dignitatis feudum vni conſortum id eſt cohæredum ſub certa & annua penſione adiudicari, vel extraneo cuidem locari: eaque penſio inter reliquos feudi cohæredes pro rata diſtribui: vel quilibet cohæredum alternis temporibus eo feudo vti: vt Bartolus tradidit *in l. inter tutores, in fine. D. de adminiſt. tut.* atq; Baldus, Aluarottus, cæteriqueprobarunt. *in d. verſ. præterea.* Cæterum inferiora beneficia dignitatem annexam non habentia, etiam ſine dominorum voluntate diuidi poſſe, certum eſt: ſi modo in eam rem omnes conſor-

consortes consenserint. *d. vers. præterea ibi. aliud autem. & dd. ibidē.* Quod quidem obtinet, etiamsi huius feuda in iure iurisdictionis, vel alijs iuribus incorporabilibus consistant. Ipsius tamen iurisdictionis, vel aliorum iurium incorporabilium substantia non diuidetur: cùm per rerum naturā diuidi minimè possit. *l. finali. D. de iure patronatus.* Sed eiusdem territorium, si commodè diuidi possit, cautiōibus, ne alius alium impediat, interpositis, per regiones diuidetur: Vel si commodam diuisionem per regiones non recipiat: vt quia vnius tantùm castri iurisdictio in feudum data sit: eiusdem commoditas vel per pensiones, vel alterno vsu diuidi poterit: quod Bartolus sensit, *in d. l. inter tutores*, & Baldus atque Al-

uarottus expreſsè tradiderunt. *in d.verſ.præterea.* Vni autem hæredum feudum, alteri allodium adiudicari poſſe, nemo dubitat. *c.vn.θ.ſi quis per triginta.verſ.omnes. Si de feud.def.content. & dd.ibidem.* Et ſi defuncti vaſalli plura feuda inueniantur: vni hæredum hoc feudum, alteri aliud adiudicari poterit. *c.ij.De prohi.feud.aliena. per Lothar.* Nec ex diuiſione facta feudorum natura immutabitur. *d.c. ij.* Et ſi poſt diuiſionem factam vnus ex cohæredibus ſine legitimo ſucceſſore moriatur: eiuſdē portio ad reliquos cohæredes ſuperſtites, ſucceſſorio iure non ad dominum reuertetur: niſi aliud expreſsim conuenerit. *d.c.ij.& ib. dd.* Quę quidem omnia hodierna conſuetudine receptiſsima ſunt.

DE

ne, cum alteri feudorum pro consimili fide & obsequio fruendum cõceditur: Et cuius domini voluntate fiat alienatio: & à quo inuestitio petenda: & cui iure commissi aperiatur, Item de voluntaria beneficij amissione per renuntiationem: & cui hæc noceat.

Caput X.

AEtiam vasallum hodie, sicuti antiquitus, alteri etiam extraneo, & sine domini sui consensu, feudũ suum siue in totum, siue in partem, in feudum rectè concedere posse. *c. vni. §. similiter. De lege Conradi. Panormitanus, Felinus, & cæteri in c. quæ in ecclesiarum. De constitut.* Quod quidem procedit, si sincere, & sine fraude: hoc est pretio

non accepto, nec libello facto, id est, emphyteusi celebrata, hoc faciat. *c. vni. post princ. vers. si verò. Qualiter olim feud. c. vni. §. 1. ibi, per feudum. Per quos fiat inuestit*: Proinde si sine domini sui præiudicio id explicet: hoc est eiusdem conditionis & qualitatis viro, cuius ipse est, in feudum concedat: vt puta æquali vel maiori, seu ei, qui ad domino feudi seruiẽdum aut aptior, aut ad minus æquè aptus sit. *d. §. similiter. ibi, vt si dans.* Denique si eiusdem legibus, quibus ipse accepit, feudum suum, alteri in feudum det. *d. §. similiter. vers. profectò. & l. Pomponius refert. §. cum quis* D. *de acqui. possessi.* Nec aduersus Baldum, *in. c. vni. vers. præterea. De capitt. Conrad.* referre puto, an feudum de quo agitur, ecclesiasticũ sit, an seculare. Vtrumque enim etiam

etiam sine domini venia, in feudum rectè concedi, post Iacobum de Beluiso, *in c. vni. in princip. De his, quæ feud.* & Aluarottum, *in d. vers. præterea.* arbitror, receptiusque est. Nisi fortè decimarũ feudum esset: huiusmodi enim feudum sine prælati consensu, eccle siæ vasallus in feudum alteri concedere non posset. *c. prohibemus. De decimis. Specu. in tit. de pignorib. in fin.* personæ verò prophanæ nec cum ipsius prælati consensu. *c. quos. & c. prohibemus. De decimis. Innoc. panor. Ioan. Andreæ, & Paulus Castr. ibidem.* Verum si in feudi inuestitura inter dominum & vasallum expressim conueniisset: ne feudum alienari posset sine domini cõsensu: huiusmodi feudum alteri subinfeudari non posset. Alienandi enim prohibitio-

nem,expressa contrahentium pactione inductam,præter Imperatorum prohibitionem aliquid operari oportet:ne frustra interpositа inueniatur.*argu.l.1.§.nūtiatio.D.de operis noui nuntiat.* quod Baldus &cæteri tradiderunt.*in d. vers.præterea.* Iacobinusq; sequutus est.*in tractatu suo,in verb. & cū pacto de non alienando.in princip.*

Sed si feudo secundum suprascripta subinfeudato, subuasallus ipsum alienare cupiat:an prioris domini,à quo feudum processit:an secundi, qui ipsum infeudauit, consensum requirere debebit?Et secundi domini consensum requirere debere,*Bertrā dus Capreoli,in d.c.vni.§.fin.vers.illud. De prohi.feud.alien. per Fredericum.* atque Ioannes Fabri.*in.§. adeo Institut.de locato & conduct.* asseruerunt:

runt: vt subinfeudatio, quæ contractus feudalis species est, iuxta contractus feudalis naturam per missa credatur. *argument. l. plenum ff. æquit. in princip. D. de vsu & habit.* Sed prioris domini consensum requirendum esse Iacobus de Beluiso, Baldus & cæteri frequentiori calculo existimarunt. *in d. vers. illud. iuxt. gloss. ibidem in verb. nisi requisitus.* quod & Iacobinus sequutus est, *in prædicto loco.* Et ego probo. Vasallus enim feudum suum subinfeudando, vtile dominium quod habuit, in subuasallum trãstulit. Quamuis ergo subuasalli dominus dicatur: *d. vers. illud.* attamen non nisi domini vmbram retinuit. Vnde meritò prioris domini potius, quàm ipsius consensus requirendus est: Et nisi interuenerit, feudum tanquam illici-

tè alienatum, commissi iure prio ri domino aperietur. *d. gloss. in ver. nisi requisitus.* Nisi fortè eiusdem copia commodè haberi non possit: vt Iacobinus eleganter tradidit. *in prædicto loco.* Cæterum subuasallo defuncto, eiusdem hæredes non à priori, sed secundo, pro ximo & immediato domino inuestituræ renouationem petere: eidemque fidelitatis iuramentũ præstare debere, Ioannes Reinaldi existimauit. *in d.c. Imperialem, in fin. princip. vers. præterea. argument. eiusdem in verb. à proprio domino. De prohibit. feud. alien. per Fredericum.* Illud autem palam est, subuasallum, qui domini sui dominum offenderit: si à domino requisitus, ipsi de offensa non satisfecerit, feudo suo priuari: feudumq; suum ad dominum, à quo ipse te nebat,

nebat,reuerti : nisi pro domini sui seruitio maiorem dominum offenderit.*d.vers.illud*. Si quoque vasallus,idemque dominus à domino suo requisitus,subuasallũ, qui maiorem dominum offendit,diligenter non quæsiuerit, vt eidem de offensa commissa satisfaciat:feudum suum amittet. *d. vers.illud & ibi.dd.*Sed an etiam vasallus feudum suum vel in totũ, vel in partem domino suo incõsulto & inuito refutare, id est, in eiusdem manus resignare poterit ? Et non posse glossa respondit.*in c.quæ in ecclesiarum.in verb.alienando.in fin. De constitutionibus. & d.c.vni.in princip.vers.calidis , in verb amittam* . Quod &Panormitanus,& Felinus.*in.d. c.quæ in ecclesiarum.*& Speculator *in titul. De feud.ℓ.quoniam.vers. vigesimo octauo*

quæritur.

quæritur. & alij nonnulli ſecuti ſunt *in d. verſ. calidis.* Quoniam, vt ſuprà demonſtrauimus, contractus feudalis tam domini, quàm vaſalli gratia celebratur. Et in cõtractibus obligationi ſemel legitimè conſtitutæ, aduerſario non conſentiente renuntiare non licet. *l. ſicuti. C. de acti. & obligati.* Sed refutare poſſe, expreſſa conſuetudinis feudalis lege cautum eſt. *in c. vni. in fin. De vaſall. qui contra conſtitut. Lothar.* Cui tanquam rationabili, ſine dubitatione, ſtandum eſt: cùm ex naturali ratione cuilibet fauori ſuo renuntiare permiſſum ſit. *l. ſi quis in conſcribendo. C. de Iure.* Quamuis enim dominus feudum ſemel conceſſum, vaſallo inuito, & ſine iuſta cauſa reuocare non poſsit: ne vaſallo iniuriam fieri contingat: vaſallus

sallus tamen, etiam sine domini sui voluntate, feudo suo rectè renuntiare poterit. Cum ea ex re domino suo præiudicium nullũ fiat: quod & vsus passim obseruat, & quamuis glossa. *in c. vnic. in fin. De capit. qui cur. vend.* (quam Iacobinus *in tractatu suo in verbo, & cuius extra dictis, in princip.* refutauit, cæteriq́ue communi calculo secuti sunt. *in d. c. vni. in fin.*) suprascriptam decisionem in feudo non nisi simpliciter, & indeterminatè concesso, veram esse voluerit: in feudo verò ad certũ seruitium dato, nõ item: vt quia eo casu ad certam seruitij speciẽ vasallus se obstrinxit. Ego tamen sine distinctione aliqua eam generaliter veram esse putarim: cũ consuetudinis lex nõ distinguat: nec probabilis aliqua ratio subsit,

sit,quæ supraſcriptam diſtinctio nem exigat:nec etiam eam Germaniæ conſuetudo admittat. Quæ quidem omnia vſqueadeò vera ſunt:vt etiam feudum alteri antea ſubinfeudatum, vaſallus in ſubuaſalli ſui, etiam reluctantis preiudicium domino ſuo refutare:eaque refutatione ſubinfeudationem prius factam,in irritum reuocare poterit.*c.vnic. verſ. rurſus. Quib.modis feud.amit. Bald. in.c.vni.De alien.pater.feud.c.vni. circa finem princip. Qualiter olim feud. aliena. poter*. Niſi fortè vaſallus priori domino ſeruire, atque ab eo feudum recognoſcere voluerit.*d.c.vni.in fine princip. Qualiter olim feud.aliena.pot.* Et ſi feudum refutatum nouum fuerit, non ſolùm vaſallo refutanti:ſed & eiuſdem quoq; liberis refutatio nocebit:

cebit: Nisi liberorum etiam intuitu feudum datum fuerit. Sin autem feudum refutatum antiquum sit: refutantis agnatis refutationem factam non nocere, sed refutante defũcto, eiusdem discẽdentibus deficientibus, eiusdem agnatis feudum refutatum reuocare posse, Baldus, *in c. vnic. §. hoc quoque. De succeſſ. feud. & c. vnic. De alien. pater. feudi.* atque Aluarottus *in c. fin. Quæ fuit. prim. cauſ. beneficij amitt.* senserunt: communiterque receptum est. Si quoq; feudi antiqui diuisiõe inter duos fratres facta: alter fratrum partẽ suam in fratris sui fauorem, domino suo refutarit: fratre, qui totum feudum consecutus est, sine hærede decedente, frater refutãs superstes eidem in hoc feudum succedere non prohibebitur. Nisi supra-

si supraſcriptam partis feudi refu tationem ea lege feciſſet: vt frater de eo feudo, tenquam nouo, inueſtiretur. *Aluarott. in c. fina. De prohibita. feud. alienatio. per Lothar. in c. vnic. De vaſall. decrep. ætatis.* Ex ſupraſcripta itaque refutatio nis cauſa, vaſallum ſponteaſua voluntate feudum amittere con ſtat.

DE BENEFICII AMISſione: varijsque cauſsis, ob quas στρατιοτικὸν κτῆμα commiſſum, beneficiario adimitur. Caput XI.

CAEterum ex defectu accidẽtaliter ſuperuenientis cauſa, vaſallus etiam inuitus feudo ſuo de nouo prius acquiſito priuatur: vtputa, ſi poſteaquam feudũ de nouo acquiſiuit, mutus, ſurdus,

dus,claudus, cæcus, vel aliàs imperfectus efficiatur. *c. vni. §. fin. verſ. mutus. Epiſcopum, Abbatem, vel Abbatiſſ. gloſſ. in c. vni. in princi. An mut. vel aliàs imperfect. & ibi. dd.* Cum enim ſeruitiorum pręſtandorum gratia huiuſmodi feudum vaſallo ſtatim ab initio, nullo defectu laboranti conceſſum ſit : eaque eam in poſterum propter defectum ſuperuenientem deficiat: conceſsionem ſimiliter deficere, atque tam filijs, quàm agnatis excluſis, feudum antea conceſſum ad dominum regredi, conſentaneum eſt. *Andre. de Iſer. & Aluarot. in d. c. vn. §. fin. Quæ fuit pri. cau. bene ficij amitt.* Verum ſi vaſallus propter religionis profeſsionem, vel clericatum ſuperuenientem feudum nouum amittat. *d. c. vni. in fine. §. ſi quis per triceſimum. verſ. qui cle*

ricus. Si de feud. defunct. c. vni. De vasallo milite, qui arma bellica. depos. feudum amissum ad eiusdem descendentes, si extent, deuoluetur, si deficiant, ad dominum reuertetur. *Aluarott. in d. § fin.* Cæterum feudum antiquum, vel paternũ, propter quemuis defectum accidentaliter superuenientem non amitti, æquitati consonum est. *arg. d. c. vnic. in prima parte. Anmm. tus.* Ne casus superueniens feudũ ex antiquorum parentum facto, vasallo prius acquisitum, eidem adiuuat. Cùm nil impediat, quo minus in posterum per substitutum æquè officiosè seruiat. *dd. in d. c. vni.* Proinde ex delicti à se perpetrati causa, vasallus feudum suum variè amittit: Im primis si domino suo interrogante, sciens & prudens feudum inficiatus, atque

que in posterum à domino suo de mendacio conuictus fuerit. *c. vni. 8. final. De lege Conradi. d. c. vnic. 8. vasallus. si de feud. defunct.* Si cũ domini sui vxore, filia, nepte, ex filio nuru, sorore secum agente rẽ habuerit, vel habere tentauerit, vel aliàs turpiter luserit. *c. vni. post. princ. vers. item si fidelis. Quibus modis feudum amittatur. tit. 1. c. vnic. 8. item qui dominum. vers. rursus. Quæ fuit prima caus. beneficij amitt. c. 2. in fin. De feud. sine culpa non amitt.* Eãque decisionem ad domini feudi concubinam, vel domini pedissequam non extendemus: prout Iacobinus rectè censuit. *in tractatu suo, de feud. in verb. quæ quidem inuest. col. 10.* Cum pœnæ potius molliendæ, quàm exasperandæ sint. *l. pen. & l. absentem. D. de pœnis* Idem erit, si vasallus in domini

sui castrum, vel vicum violentè impetum fecerit: dominum, vel dominam ibi esse sciens. *d. §. item qui, vers. porro. d. c. vni. vers. similiter. Quib. modis feudum amittatur*. Si in dominum suum impias manus, vel aliàs graues iniurias atque cõtumelias intulerit: vel eiusdem vitæ veneno, gladio, vel aliter insidiatus fuerit, *d. vers. porrò*. Si dominum suum non mortuum, nec ad mortem vulneratum in prælio dimiserit. *d. c. vni. in fin. prin. Quib. modis feud. amitt. titul. prim. & secund.* Nisi fortè certum esset, vasallum in domini sui defensione persistendo, omninò periturum fuisse. *Iacobi. in tractatu suo, de feud. in verb. & promiserunt. col. 15*. Nam salutem propriam domini sui salutiiure anteponere potest. *gloss. 1. in fine. in d. c. vnic. Quib. modis feud. amit.*

amit.tit.prim.ar.l.vt vim.D. de Iust. & Iure. Vel nisi ad domini defensionem omnis inutilis effectus: vt puta brachijs, vel manibus mutilatus fuisset. *argumen.c.2. in fine. in verb.cũ potuerit. De feud.sine culp. non amit.gloss.1.post princip.d. c.vnic. Quib.modis feud.amit. titul.prim.* Si domino suo cum posset, iusticiã administrare recusauit. *d. vers.porro* siue de ipsius feudo, siue de alio agatur. *dd.in.d. vers.porrò.argum. gloss.ibidem, in verb.Iusticiam.* hincque est, quod si vasallus à domino suo super feudo in ius ter legitimè vocatus, comparere noluerit, ob eiusdem contumaciam dominus à Curiæ suæ paribus, in feudi de quo agitur, possessionem mittatur. Et si vasallus intra annum comparens, contumaciã suam non purgauerit: feudo suo

penitus priuetur.*c. vnic. De milit. vasal. qui contu.* Item si vasallus erga dominum suum tam contumaciter se gerat: vt ea seruitia prę stare nolit, quæ pręstari statim ab initio inter eos conuenit: vel præstanda Curiæ domini sui pares sua sententia diffiniuerunt: vel præstari recti feudi natura expostulat, feudum suum amittet. *d. t. item qui dominum. vers. sed non alia. c. 1. De feud. sine culpa. non amit. c. vnic. t. firmiter. in princ. De prohibit. feudi alienat. per Frederic. c. vni. in secunda parte. De allodijs.* Si modò suprascripta seruitia præstare in ipsius potestate situm fuerit: atque ea præstari domini necessitas expostularit. *d. vers. sed non est alia, in fine dicti c. 1.* Si quoque vasallus dominum suum de crimine accusarit: vel alium, qui eum accusaret, subornarit

narit:vel pro accusatore fideiusserit:vel sponte,& nulla necessitate impellente, dominum suũ de crimine accusarit:vel in crimi nali causſa testimonium aduersus ipsum tulerit,feudum suum perdat.*c. vnic.θ.in quib.verſ. similiter De consuetudine recti feudi.& gloſs. ibidem in verbo priuabit.* Si modò dominus ex ea re graue dispendium sustulerit.*d θ.item qui dominum.verſ.item si delator.* Nisi fortè vasallus dominum suum accusando, suam suorumque iniuriã persequeretur.*d.gloſs. in verb.perdit.* Vel patriam suam,aduersus eiusdem proditionem,tutaretur. *arg.l.minimè,in fine. D. de religi.& sumpt.fund.* In ciuili etiam causſa, præsertim modica, vasallus aduersus dominum suum, etiam spontè testimonium ferre non

prohibetur. *argument. d. verſ. ſimili ter. & dd. ibid.* Proinde ſi vaſallus dominum ſuum à captiuitate, vel morte, cum potuerit, non liberarit, feudo priuatur. *d. verſ. itē ſi delator, in fine, c. vnic. θ. fin. in princ. De alien. paterni feudi.* Niſi fortè dominus captiuitati, vel morti iuſtiſsimam cauſam dediſſet: quod Andreas de Iſernia tradidit, cæteriqúe ſecuti ſunt. *in d. θ. item ſi delator.* Si etiam vaſallus pecuniam ſuam domini ſui nomine numerando, cum poſſet, eum à periurio non liberarit, feudum ſuum non amittet. *d. verſ. fin. in fine. c. vn. θ. licet. in fin. prin. Si de feud. defuncti. contentio ſit.* Cæterum, ſi vaſallus vel in domini ſui pernitiem, mortemue ab alijs aliquid machinari animaduertat: nec cum poſſet, etiam vltrò hoc ipſum ei indicet:

dicet: vel ex hostium obsidione inimicorumque conspiratione: vel alia qualibet caussa vitæ, vel aliud graue periculum ipsi animaduerterit imminere: nec homini periculum, cum posset, auxilio etiam vltro allato, auertat: tanquam ingratus, feudo suo carebit. *d.c.vnic.§.ad hoc. verſ.tu tamen. Hic finitur lex.* Extra autem supra scriptum casum, vasallus regulariter domino suo seruitia vltrò offerre non tenetur. *d.§.licet.* Et quamuis etiam longo tempore seruitium non præstiterit: feudū tamen non amittet. Nisi fortè interea à domino suo requisitus fuerit. *d.§.ad hoc d.verſ.licet.* Nec propter seruitia quantumuis longo tempore non præstita, vasallus in posterum libertatem aduersus ea præscripsisse dicetur: Nisi

interea temporis domino scien-
te & patiente se pro non vasallo
gesserit. *flor in l. hæc autem verba.*
D. de seruit. verb. prædiorum.

ALIAE INGRATI animi *species, & accepti à domino beneficij immemoris. Exempla culpæ in non dominum commissæ, ob quam auferatur militare prædium.*

Caput XII.

POrrò si vasallus cum domini sui inimicis, vel hostibus amicitiam, vel fœdus inierit: Vel in alijs sic versatus fuerit, vt potius inimicus, quàm fidelis credatur: Vel domino suo clandestinè, vel manifestè insidiatus fuerit, feudo suo priuabitur. *c. vnic. Quot testes sint necess.*

ceſſ. gloſs. in verb. concubuerit, in d. verſ. item ſi fidelis. Idem erit ſi vaſallus fratrem ſuum, vel neptem ex eo, in eum finem interfecerit, vt totum feudum conſequatur. *d.c.vni. poſt princ. verſ. ſunt. Quib. modis feud. amit. titul. prim. c. vn. An ille qui interfece. fratrem domini.* Vel aliud graue crimen, quod parricidij appellatione continetur, cõmiſerit. *d.§. c. vni. §. final. verſ. ſi verò non, Quæ fuit prima. cauſa beneficij amitten.* Verum ſi domini ſui fratrem interfecerit, beneficium nõ amittet. *d.c.vni. in princip. An ille, qui interfe.* Nam licet domini ſui fratrem occidendo, in dominum ipſum grauius peccare videatur: tamen proprium, eiuſdem ue filium interficiendo, in primis naturaliter magis peccat. Proinde feudi occaſione deliquit: vnde eo meri-

meritò priuandus est. *Iacobi. in tra Etatu suo, de feud. in verbis, dictique vas. promis. nō commit. felon.* Superiori verò casu feudi occasione non delinquit: Vnde eo tam facilè priuandus non est. Nam aliàs ex cōsequenti diceremus, quod si vasallus intimum aliquem domini sui amicum interfecerit, feudo suo priuaretur: quod absurdum esset. *Bald. & reliqui in c. vnic. An ille, qui interfe.* Sanè si vasallus domini sui fratrem in eiusdem contumeliam occidisset: feudo suo priuaretur. *Iacobus de Beluis. & cæteri. in d. c. vni. An ille, qui.* Idem esset, si per proditionem ipsum occidisset: Nam etiam extraneum proditoriè interficiendo feudo suo priuaretur. *d. c. vni. post princi. An ille. qui etiam.* Ergo àfortiori eo priuabitur, si domini sui fratrem

eo modo

eo modo interfecerit. *gloss. in verb. fratrem. in d. vers. similiter. Quibus modis feudum amittatur titul. prim.* Qui eum hominem proditoriè interfecit, sine summo suo dedecore & infamia in domini sui Curia in posterum versari non potest. *glossa in d. c. vni.* Et pro regula traditum est, *in d. c. vni. post princ.* eum, qui tale delictum perpetrauit, vt in posterum sine summa infamia in domini sui Curia versari non possit: eius delicti nomine feudo suo priuandum esse. *dd. in d. c. vni.* Si ergo vasallus domini sui fratrem aperto Marte occidendo feudo suo non priuabitur: cõsequens quoque est, vt aduersus Iacobinum de Ardzone, atq; Aluarottum, *in d. c. vni. An ille. qui interf.* censeamus, nec eum vasallũ feudo suo priuari, qui conuasallum,

lum, suo aperto Marte interfecit. Insuper si vasalli filius feudi dominum offenderit,& vasallus idemque pater, à domino suo requisitus, vt filium suum ad se deducat, vt ipsi de offensa commissa satisfaciat: vel si filius id agere nolit, eum à se repellat: ipsumq; neglexerit, à feudo suo cadet. *c. vni. & fin. in princip: De prohib. feud. ali. per Fred.* Eamque decisionem & ad reliquos vasalli domesticos, feudi dominum offendentes extendendam esse dd. nostri existimarunt. *in d. & fin.* Excepta tamen vasalli vxore, quam propter offensam in feudi dominum commissam, vasallus à se abdicare nõ tenetur: quod Baldus tradidit. *in d. & fin.* cæteriq́ue sine controuersia secuti sunt. *argument. l. fin. & fin. C. de furtis* Suprascriptæ quoque decisio-

decisioni non nisi in ea offensa locum esse, crediderunt: ob quam vasallus feudo suo priuaretur, si eam commisisset: quod receptius probabiliusq; est: Ne vasallum ex alieno delicto, grauiori pœna afficicõtingat, quàm ex suo ipsius proprio *arg. l. non debet. D. reg. iuris.* Quin quoq; vasallum feudo suo priuari posse, Baldus *in c. vni. §. per. De pace tenend.* censuit, qui feudo abutitur, ipsumque insigni detrimento affecit: vel qui feudi subditos enormiter, & præter omnem humanitatem tractauit: atque à feudi domino admonitus, in sua insolentia & tyrãdine perdurauit. *argument. d. §. pen.* Adde etiam eum vasallum litigatorem qui lite super feudo pendente, ipsum violenter inuaserit, litem cœptam perdere, atque

atque duplum æstimationis feudi violenter occupati persoluere compelli: feudum verò ipsum, hoc est, vtile eiusdem dominium non item: Nisi quoad causæ iustitiam. Nam de eo in posterum nouo iudicio experiri non prohibetur. *c. vni. §. si Iudex. vers. si tuo. in fin. De pace tenenda.* Quamuis ex iuris scripti dispositiõe, litigator rem allodialem, lite pendente, vel nõ pendente violenter inuadens, si dominus sit, eiusdem dominum penitus amittat. *l. si quis in tantam. C. vnde vi. §. 2. Instit. de vi bon. raptor.* Cæterum eum vasallum, qui secreta à domino sibi commissa alteri aperuerit, feudo suo omninò priuari, certũ est: Si id scienter, & in domini sui pernitiem fecerit. *c. vnic. Quibus modis feudum amitt. titul. 2. & dd. ibidem.* Et generaliter vasallus

vasallus feudum suum amittet: si quid amiserit aduersus ea, quæ in iuramenti fidelitatis præstatione, vel tacitè, vel nominatim promisit. *c. vn. de no. form. fidel.* Hoc enim agendo, fidem domino suo datam, & iurisiurandi religione corroboratam fallit: & peierando grauissimè delinquit. *arg. l. 1. D. De constit. pecu.* vnde meritò odio & pœna dignus est. In summa, si vasallus aduersus dominũ suum aliquã ex illis quatuordecim ingratitudinis caussis commiserit: ob quas de iure scripto pater filium suum exhæredare potest. *Authent. vt cum de appel. cognosc. θ. aliud quoq; verſ. causſas.* Vel etiam aliquam ex illis ingratitudinis vel repudij caussis, ob quas vel donationes iure perfectæ in irritum reuocari. *c. fin.*

De donat. vel matrimonia ritè cõtracta dissolui possunt. *l. consensu C. de repudijs extr. De sponsalibus. & matrimonio per tot. cum multis seq. tit.* feudo suo priuari poterit. *d. c. vn. §. 1. vers. prædictis. Quæ fuit prima causa benef. amitt.* Denique si aliqua causa consuetudinis lege non expressa emergat, ex qua feudum iustè adimi posse videatur, discretus iudex omnibus circumstantijs diligenter perspectis, animaduertet, an causis consuetudinis lege expressis, vel similis, vel iustior sit: atque eadem vel maiori iustitia, æquitatéue expostulante, vasallum feudo suo priuabit. *d. §. 1. vers. sed quia natura.* Illud autem omittendum non est, quod si feudum partim ecclesiæ, partim eiusdem prælato cõcessum fuerit

rit: ob aliquam ex supraſcriptis cauſis à Prælato commiſſam: eccleſiam feudo conceſſo, non niſi ad Prælati vitam priuari. Et rectè. *c. vn. §. 1. De capit. Conrar.* Nec etiam prætereundum eſt, vaſallum etiam ſine culpa ſua, feudum ſuum amittere: ſi poſt eiuſdem conceſsionem, dominus ipſum alicui eccleſiæ, ex quouis titulo contulerit: Niſi fortè in poſterum ipſum, tanquam nouum, ab eccleſia ex eiuſdem benignitate receperit. *c. vn. verſ. ſi vero de allod.* Sed ſi vaſallus dominum ſuum venia nõ petita, in ius vocarit, an eo nomine feudo ſuo priuabitur? Et priuari nonnulli putarunt: ſed Baldus contra ſenſit. *in c. vn. De milite vaſallo, qui cont. eſt.* quem cæteri frequentiori calculo ſe-

cuti sunt: & rectè. Nam vasallum in Prætoris, de in ius vocando, edicto non contineri, certum est. *l. quique litigandi D. de in ius vocando.* Si quoque vasallus aduersus dominum suũ manus leuarit, non tamen percusserit: eo nomine feudo suo priuandus non erit. *arg. c. vn. §. 1. de capit. qui cur vend.* licet iniuriarum vtili actione teneatur. *l. item apud Labeonem. in prin. vers. si quis. D. de iniu. & fam.* Nec enim quęuis occasio ad feudi priuationẽ sufficit. *c. vni. vers. si quis. In quib. caussis feud. amitt. c. vn. §. ij. in fin. quæ fuit prima caussa benef. amitt.* Nam expressa consuetudinis feudalis lege, vasallus insufficientes, imò nimias amittendi feudi angustias deducitur: vt ex superioribus satis liquet.

DE

DE RATIONE AC MODO, QUO EX CAUSSIS ANTECEDENTIBUS COMMISSUM À VASSALO BENEFICIUM ADIMITUR: NIMIRUM AN IPSO IURE: AN VERÒ PER DECLARATORIAM IUDICIS SENTENTIAM.

Caput XIII.

QVid ergo? an ex supra-scriptis omnibus causis vasallus ipso iure feudo suo priuatur? an per subsequentem iudicis sentẽtiam ipsius feudi priuationem inducentem? Et in casibus consuetudinis lege expressis, ipso iure priuari certum est. *c. vni.θ. si quis per xxx. vers. qui clericus. qui si de feudo defunct. cont.* Idemque & in casibus à consuetudinis lege non expressis, dicemus: si inter dominum & vasallum statim ab initio conuenerit:

vt ex omnibus indiſcriminatim cauſsis, vaſallus ipſo iure feudū ſuum amittat. Sed an renouationis inueſtituræ conſtituto tēpore non pręſtitæ: atque fidelitatis non pręſtitæ caſum, ex illorū caſuū numero eſſe dicemus, in quibus ipſo iure feudū amittitur? Et eſſe Iacobinus exiſtimauit. *in tractatu ſuo, de feud. in verb. qquidē inueſti. arg. verſ. amit. in c. vn. in prin. Quæ fuit prima cauſs. ben. amit.* Sed non eſſe credere. *arg. verſ. carebit. in d. c. vni. in prin. Quæ fuit prima cauſs. ben. amitt. et verſ. amitt. in c. imperialē in fin. prin. et verb. redeat, et verb. reuertatur: ibidē et verb. dānetur. in c. primo in fin. Quo tēpore miles inueſt. pet.* Idēq; aduerſus Ioannē Reinaldi, *in d. c imperialē. θ. firmiter*, atq; Iacobinū, *in tract. ſuo, de feud. in verbo, et promiſerunt eidē domino ſuo, circ. fin.*

de eo

de eo casu respõderẽ, quo vasall⁹ à dño suo specialiter requisitus, eidẽ in bello aduersus hostẽ opẽ ferre vel recusauit, vel neglexit. *arg. verb. amittat in d. §. firmiter. & verb. perdat. in c. vn. in fine. De Allodijs.* An vero illicitè alienationis casus, ex eorundem casuũ numero sit, in quibus ipso iure feudum amittitur, subsisto. Nam ex eorundem numero esse, Glossa, *in c. vn. vers. callidis. in verb. reuertatur. De prohib. feud. alie. per Fred.* Baldus, Aluarottus & cęteri *in d. gloss. & capit. vn. Quæ fuit prim. causa.* sensserunt. *arg. d. vers. callidis, circa finem. & gloss. in verb. modis omnibus, in Auth. vt defuncti, & eorum funera. post prin. in vers. sancimus.* Sed magis est, vt ex eorundem numero non esse censeamus. Siquidem generaliter

traditum sit, ex nulla regulariter culpa vasallum feudo suo priuari: nisi ipsa & legitimè prius probata, atque à Curiæ domini paribus comprobata fuerit. *d. c. 1. De feud. sine culp. non amitt. c. 3 in princi. Quo tempore miles.* Nec ab ea generali traditione illicitæ alienationis casus, consuetudinis lege specialiter exceptus inueniatur. Ergo nec ipsum à suprascripta regula excipiemus: præsertim cum mitius sit, pœnam per iudicis sententiam, quàm ipso iure inferri: & in iurium interpretatione, pœnæ molliendæ potius, quàm exasperandæ sint. *l. pen. D. de pœnis.* Quia tamen vasallus feudum suum illicitè alienando, & realiter postea tradendo, iure, quod in feudo habet, ipse se priuat: sententiam iudicis vtilis dominij priua-

priuatiuam subsequi, superuacaneum foret. Et ideo ea iudicis sententia in posterum sufficiet, qua illicita feudi alienatio, & per consequens eiusdem priuatio declarabitur, feudum domino applicando. *Bald. in c. vnic. in fin. De his, qui feud. dare possunt.* Quæ declaratio bonę fidei emptori hoc prodesset: vt in posterum aduersus vasallum eius, euictionis nomine, regressum habeat. *arg. feudum 1. D. De euictio.* idque sensisse suprascripta Glossa, visa est. *in d. ver. callidis.* licet doctores nostri eam aliter interpretati sint. Adde etiam in his omnibus casibus sententiam iudicis declaratoriam subsequi debere, in quibus ipso iure priuationem fieri, expressa consuetudinis lege cautum est. *c. cum secundum leges. versi. bona de hære. lib. 6.* Quod

& Bartholus tradidit. *in. l. eius qui delatorem. D. de iure fisci. arg. text. ib. post prin.* communiterque receptum est. Si tamen dominus ante sententiam iudicis declaratoriam subsecutam, priuationem ipso iure factam exequendo: feudum ipso iure sibi apertum à vasallo, vel alio possessore consecutus esset: ea executio non reuocaretur. Quod verum intellige, si vasallo, vel possessore non reluctante, huiusmodi executio facta sit. Si enim illis inuitis facta esset, eius nomine dominus ipsius feudi directo dominio forsitan priuaretur: atque ipsum feudum ei, cui violenter abstuliisset, restituere compelleretur. *argument. l. si quis in tantam. C. vnde vi. & d. θ. secundo Institut. vi bon. rapt.* Dominus enim feudum ex aliqua iusta

sta causſa sibi apertum, non propria sua auctoritate: sed per iudicem ipsum consequi debet. *argu. d.c.1. De feud sine culpa non amitt. c.vnic. De milit. vasall. qui cont. est. l.extat. D. De eo, quod metus causſ.* Quod & Iacobus de Beluiso, atque Baldus probarunt. *in d.c. vni. fina. De his qui feud.* Et ideò, si post culpam commissam vasallus timeat, ne dominus ante sententiam iudicis, vel priuatiuam, vel declaratoriam subsecutam, feudum violenter & de facto sibi auferat, iudicem accedet, qui sibi vim fieri à domino prohibebit. *argument. l. si super. circ. finem, & ibi Baldus. C. de transactio.* Si ergo dominus feudum aliqua causa sibi apertum consequi velit: ad uersus vasallum, vel quélibet feudi possessorem legitimè experiri debebit.

debebit. *argum. d. c. vn. De milit. vasall.* Sed quanam actione experietur? Et si aduersus vasallum experiatur, etiamsi feudũ, de quo agitur, ipso iure sibi apertum non sit, directa rei vindicatione experiri poterit. *argument. l. si hæres ij. in prin. D. ad SC. Trebell.* Et si vasallus feudo suo ipso iure non priuatus, aduersus dominum vindicantem de vtili dominio apud se existente excipiat: dominus de vasalli culpa replicabit, asserendo ipsum eius nomine vtili suo dominio priuandum esse: Quod Iacobus de Beluiso tradidit, Baldusque secutus est, *in d. c. vn. §. ij. vers. porrò. Quæ fuit prima causa.* Sin autem dominus aduersus tertium quendam feudi possessorem agat: & feudum, de quo

quo agitur, ipso iure sibi apertũ sit: directa rei vindicatione similiter experiri poterit. Si verò feudum, de quo agitur, ipso iure sibi apertum non fuerit: conditione ex consuetudinis lege competente, dominus aget. *arg. l. vnic. D. condict. ex lege.* vel, vt Baldus voluit, *in c. vni. De controuer. inter dominum & emptorem feudi.* etiam hoc casu directa vindicatione experiri poterit. *arg. c. vni. θ. l. in fin. prin. De inuest. de re alie. fact.* Suprascriptis ergo actionibus dominus agens, & vasalli contra se ingratitudinem vel aliam amittendi feudi causam allegans, eam legitimè idẽ, quinque testibus omni exceptione maioribus probare debebit. *c. vni. Quot testes sint necess.* Et ideo si testes vel iuris, vel facti infamia laborent, idonei non censebuntur:

tur: Ne dominus vasallos suos feudis semel concessis, facilè priuandi caussa detur. *Baldus ibidem.* Suprascripta autem probatione facta, pares Curiæ domini, qui de hac re cognoscunt: vel vasallum, vel alium quemuis feudi possessorem feudum, de quo agitur, domino restituere iubebit, vnà cum fructibus à culpæ commissæ die perceptis: Siquidem ab ea die malæfidei esse cœperit. *Baldus in Authe. incestas. C. de incest. nuptijs.* Idque obtinet siue iure ipso, siue per subsequentem iudicis sententiam feudi priuatio facta sit. *arg. l. certum & notatorum ibi. C. de rei vendi. & l. fructus D. eodem titulo.*

DE

DE HAEREDIBVS DOmini, an controuersiam amissionis beneficij superstiti beneficiario, eoque vita defuncto, ipsius hæredibus mouere, & beneficiū vindicare possint.

Caput XIIII.

SEd quid si iusta amitten di feudi culpa à vasallo commissa, dominus tacuerit: nec vasallo amisionis feudi controuersiam mouerit, posteaquam discesserit: an eiusdem hæres superstiti vasallo eam controuersiam mouere, feudumque ab eo vindicare poterit? Et non posse Glossa sensit. *in c. vnic. ℓ. fin. vers. non succedit. De prohib. feud. alie. per Fred. & in l. omnimodo, in princi. vers. nam si nullam, in verb. non liceb. C. in off. testam. arg. text. ibidem. & in*

l. 1.

l.1.& fin.C.de reuo. donati. Dominus enim culpam à vasallo commissam sciens,& cum posset eiusdem querelam non deponens: vasallo eam tacitè remisisse creditur. Præsertim cùm in eo silentio vsque ad vltimum vitæ spiritum perseuerarit. Ex quo colligere licet, quod si dominus culpam à vasallo commissam ignorarit: vel si sciuerit, præcipiti morte præuentus, vel alia iusta causa præpeditus, eiusdem quærimoniam ante mortis tempus proponere nõ potuerit, suprascriptę sententiæ locum non fore: Quod Iacobus de Beluiso tradidit, *in c. vni. θ. præterea. Quib. mod. feud. amit. tit. prim.* communiterque receptum est. Sed quid ex diuerso dicemus: si vasallus post iustam amittendi feudi causam à se commissam:

ante

ante eiusdem querelã à domino aduersus se motam decesserit: an dominus superstes aduersus vasalli defuncti filium, aliúmue descendentẽ eam proponere, eaq; proposita feudum ab eo vindicare poterit? Et posse Iohãnes Reinaldi existimauit. *in. d. θ. fin.* Quoniã in feudis defuncti vasalli delictum seu culpam, eiusdem descendentibus nocere palam est. *c. vn. θ. licet vers. si vasallus culpam. Si de feud. defuncti. c. vn. Si vasallus feudo priuetur*: Sed Andræas de Isernia, Baldus Aluarottus, et cęteri frequentiori calculo contrà senserunt. *in d. θ. fin. arg. gloss. ibidem, in verb. priuetur. in y. parte.* Et ego sequor. Nam Dominus, qui culpam à vasallo commissam, sciret, & cum posset, eiusdem controuersiam vasallo ante eiusdem

mortem non mouit: eam tacitè remisisse intelligitur: Præsertim cùm hæc quærela, seu actio pœnalis sit: & de iure ciuili traditum sit, actiones pœnales, etiam ad pœnam pecuniariam partiapplicandam, in defunctorum qui deliquerunt, hæredes, regulariter non transire. *l. vnic. C. ex delicto defunct. & ij. Instit. de perpetu. & temporal. actionib.* Nec etiam de iure Canonum: cum agens de lucro captando, non damno vitando agit, vt in hoc nostro casu. *argument. c. fin. in fin. & ibi dd. De sepultur.* Si tamen dominus culpam à vasallo commissam ignorasset, vel dum sciuisset, ad eiusdem quærelam mouendam se præparasset, neque præcipiti morte vasalli præuentus, vel alia iusta causa præpeditus, id adim-

adimplere potuisset: vasallo culpam remisisse non crederetur. *argument. l. iure decedens. vers. nec enim. D. inoffic. test.* Atque per consequens feudum ab eiusdem descendentibus vindicare non prohiberetur. *argum. gloss. in verb. regressum, in c. vn. §. præterea. Quib. mod. feud. amitt. titul. prim.* Hæc quidem vera sunt, cùm vasallus ex culpa à se commissa ipso iure feudo suo priuatus non est. Verum si culpæ à se commissæ nomine vasallus, vel ex cõsuetudinis feudalis dispositione: vel ex dñi & ipsius conuentione, feudo suo ipso iure priuaretur: quoniã hoc casu offensa cõmissa pœnæ executionẽ secũ traheret: ea pœna in eiusdem descendentes trãsiret: atque per consequens dñs etiam aduersus eiusdem descen-

dentes feudum ipsum vindicare posset: vt Baldus eleganter tradidit. *in d. §. fin.* & reliqui sine controuersia secuti sunt. *arg. gloss. in l. iij. §. quod autem. D. quod quisque curis.* Illud autem omittendum non est, quòd si aliquem de feudo inuestire promisero, atque is ante inuestituram factam, iustam amittendi feudi culpam aduersus me commiserit: si in posterum inuestituram petat, doli mali exceptione à me repelli posse. *argu. l. dolo facit. D. de doli mali except.* Si modò offensam ab ipso aduersus me commissam ex continenti probare possim: Quod Andreas de Isernia aduersus glossam recti⁹ tradidit. *in d. §. fin. in ver. dominium.* cæteriqúe probârunt. Si tamẽ offensa à me ipsi obiecta altiorem indaginem requireret,

supra

supraſcriptæ Gloſſæ locus eſſe poſſet: nec inueſtituram denegare poſſem: ſaluo tamen mihi offenſæ commiſſę & allegatæ iure. *Baldus in d.θ. fin. arg. l. fin. circa finẽ. C. de compenſationib.*

DE SVCCESSIONIBVS *in beneficia, morte beneficiarij: vel p̃ termiſsione inueſtituræ: vel auxilij de negatione: aut alienatione illicita: aut voluntaria renuntiatione: aut fortuito aliquo defectu legitimè vacantia.*

Caput XV.

FEuda itaq; multifariam aperiri ex ſuperioribus ſatis apparet. In primis enim feuda vaſalli morte aperiri, ſuperiori capite latè demonſtrauimus: Quo caſu, ſi feudum

apertum nouum fuerit, ad vasalli descendentes vsque in infinitum, successionis iure, deuoluetur. *c. vn. in prin. De succes. fratrum.* Quibus deficientibus, eiusdem agnatis exclusis, ad dominũ reuertetur. *c. vn. §. vers. sin aũt. De his, qui feud.* Ita tamẽ vt si vasallus defunctus aliquas necessarias, vel vtiles expensas in re feudali fecerit: dominus cogatur, vel eiusdẽ hæredibus iustam ipsarum æstimationem præstare: vel pati, vt ipsas auferant. *c. vnic. §. 1. in fin. Hic finitur lex.* Fructuum vero ex huiusmodi feudo prouenientium hæc ratio habetur: vt si vasallus priori anni parte, hoc est, post calendas Septembris, vsque ad calendas Martias decesserit: omnes illius anni fructus ad dominum pertineant: Si verò posteriori anni par-

ni parte, hoc est, post calẽdas Martias, vsq; ad calendas Septembris vasallus decesserit: fructus interim percepti eiusdem hæredum sunt. *d.c.vn.ϑ.his cõsequenter, & ibidem Aluarott. & Andre.de Iser.* Si verò feudũ vasalli morte apertum antiquũ sit: imprimis eiusdẽ descendtẽibus vsq; in infinitũ, illisq; deficiẽtibus eiusdẽ agnatis vsque in infinitũ, similiter successionis iure deferetur: Quibus cessantibus, ad dñm demum regreditur. *c. vn. De natu. succeß. feud.* Inde ob inuestiturę renouationem constituto tempore nõ petitã: fidelitatemq; eodẽ tẽpore nõ prẽstitã: feuda aperiri suprà amplè docuimus. Quo casu, si feudũ apertum nouũ fuerit, vasalli negligentis, tã descẽdentibus, q̃ agnatis exclusis ad dñm redire, dubitatio nulla

est. *arg. d. c. Imperialem. in fin. prin. vers. præterea. De prohib. feud. alien. per Fred.* Cæterum si antiquum sit, vasalli descendentibus exclusis, ad eiusdem agnatos deferri, non ad dominum redire, post Andræam de Isernia, *in c. 1. Quo tempore miles* atque Aluarottum *in c. vn. §. fin. Quæ fuit prima cauſsa beneficij amitt.* crediderim, *arg. d. c. vn. in fin. Quæ fuit prima cau. beneficij amitten.* licet in contraria sententia Ioannes Reinaldi, *in d. vers. præterea, ar. eiusdem.* atque Castrensis, *in l. adoptiuum vers. patronum. D. de in ius vocando.* fuerint: eamque Iacobinus probarit: atque etiam secundum eam ex facto iudicatum fuisse retulerit. *in tract. suo, De feud. in verb. quæ quidem inuest. præst.* Deinde ob non præstitum à vasallo speciali ter requisito, domino suo, aduersus

sus eiusdem hostem auxilium: feudum aperiri suprà comproba uimus. *c. vni. in fine. De allodijs d. c. imperialem. §. firmiter.* Quo casu si feudum apertum nouum sit: & descendentibus, & agnatis exclusis, ad dominum regredi, omnes sine controuersia fassi sunt: Si verò antiquum fuerit, idem fore Iacobus de Beluiso, Bertrandus Capreolæ atq; Baldus post glossam censuere *in verb. facultatem, in. 1. parte, in fin. in c. vni. De allodijs. §. final.* Quod & Aluarottus probauit, *in d. c. vni. Quæ fuit prim. causs.* & nouissime Iacobinus in iudicando indubitanter sequendnm putauit. *in tract. suo, De feud. in verb. & permiserunt. eidem.* Sed hac in re Andręæ de Isernia sententiam & æquiorem & veriorem putarim existimantis, *in d. §. firmiter.* feudũ

ex supraſcripta cauſſa apertum, ſi antiquum fuerit, domino excluſo, ſuperſtitibus vaſalli agnatis applicari. *d. gloſſ. in verb. facultatem. in ij parte. in d. c. De allodijs.* Deinde illicita alienatione feuda aperiri, ſupra profusè oſtẽdimus: Quo caſu ſi feudum apertum nouum ſit: vaſalli illicitè alienantis tam agnatis, quàm denſcendentibus excluſis, ad dominum reuertetur. *c. vni. θ. fin. in fin. Quæ fuit per cauſſa bene. amitt. c. vni. De vaſal. qui contra.* Precedente tamen ſententia iudicis declaratoria, non priuatiua: vt ſuprà comprobauimus. Quod verum eſſe puto, etiã ſi in feudo nouo frater fratri conuẽtione ſuccederet. *arg. c. vn. θ. fin. verſ. item ſi fuerint, & ibi gloſſ. in ver. reuertetur. Quibus modis feud. amitt. tit.* 1. Cæterum ſi feudum illicita aliena-

alienatione apertnm,antiquum fuerit: vasalli alienantis descendentibus exclusis , ad eiusdem agnatos, non dominum , etiam hodie, sicuti olim, transire: frequentiori & æquiori calculo receptum est. *argum. c. vni. θ. si quis decesserit. vers. Titius. Si de feudo def. cont. sit. c. vni. θ. 1. & ibi gloss. in verb. partem. post med. De succes. feu.* Quia tamen ad rei emphyteuticæ, domino inconsulto alienatæ, exemplum: *l. fin. in fin. C. de iure emphyte.* feudum etiam antiquum illicita alienatione apertum , etiam vasalli alienantis agnatis exclusis, ad dñm hodie reuerti, nonnulli probabiliter, rigorosè tamẽ traderũt. *arg. c. vn. in prin. vers. al. in fi. De prob. feu. ali. per Fred.* Aluarott. cõsuluit, *in d. θ. fin. in fin.* vt statim feudi antiqui alienatione illicitè facta,

facta, vasalli alienãtis agnati traditioni possessionis obstent, atq; super ea re domini subsidium implorent: qui si rem negligat, in dolo esse credetur. Ideoq; feudi illicitè alienati ab eo, in quẽ alienatio facta est, auocandi & vindicandi potestas domino non concedetur: sed agnatis possessionis feudi traditionẽ impedientibus. *arg. d. vers. vers. Titius. & c. vn. θ. 1. in fin. Per quos fiat inuesti.* Proinde refutatione feuda aperiri, suprà cõprobauimus: Quo casu si feudũ apertum nouum sit, vasalli refutantis tam agnatis, quàm descendentibus exclusis, ad dominũ, in cuius fauorẽ refutatio facta est, in posterũ regredietur: Sin antiquũ sit, donec vasallus refutãs, eiusdẽq; descẽdẽtes superfuerint, domini erit: Illis vero defunctis,

ad

ad agnatos veniat. *Baldus in. d. θ. 1. Aluarottus in d. θ. final. in fine.* Porrò defectu vasallo accidentaliter superueniente, feuda aperiri suprà docuimus: Quo casu si feudum apertum nouum sit, & filijs & agnatis exclusis, ad dominum pertinebit: Si verò antiquum fuerit, domino excluso, ad vasalli descendentes, & illis deficientibus, ad eiusdem agnatos deueniet *dd. in dict. θ. fin.*

DE SVCCESSIONIBVS *in beneficia, delicto beneficiarij: aut violenta inuasione occupationeque vacantia.*

Caput XVI.

DEnique & delicto feuda variè aperiri, supra ostẽdimus: Quo casu si feudum apertum nouum fuerit, omnibus

nibus vasalli delinquentis& descendentibus & agnatis exclusis, ad dominum reuerti,certum est. *glos.in verb. ad proximos, ibi, item nulla. & Aluarottus ibidem in d.θ. fin.*non habita distinctione, an delicti à vasallo perpetranti tempore,vel concepti , vel nati fuerint an non fuerint. Vasallum enim in feudo à se de nouo acquisito,his omnibus,qui ex ea acquisitione ditarentur , præiudicare posse probabile est. Nec etiam habita ratione,an in dominum , an in alios delictum,quod feudi priuationem induxit , commissum fuerit . Ex paternis enim vitijs, filiorum , reliquorumq; descendentium vitia non immeritò p̃sumuntur,*arg.l.quisquis.θ.1.in fin. C. ad leg . Iuliam maiestatis . l. qui si nolit.θ.2.vers. qui mancipia.* D. *de edilit.*

edilit.edict. Sin autem feudum apertum antiquum fuerit, omnibus vasalli delinquentis descendentibus exclusis, ad dominum similiter regredi, dubitatio nulla est. *d.c.vni.θ.licet.vers.si vasallus culpam. Si de feud.defunct.cont.sit.* Nõ habita distinctione, in quem delictum, quod feudi priuationem induxit, perpetratum fuit. *c.vnic. si vasall.feud.prin.cui defe.* Sed an etiam vasalli delinquentis agnatis exclusis: feudum antiquum, & ex delicti in domini personam commissi causa iam apertum, ad dominum redeat, magna disceptatio est: Nam ad agnatos superstites potius transire Glossa æqtate ducta, existimauit. *in verb. part.post med.in d.c.vn.si de suc.feud. ar.d.vers.si vas.culp.* Quã sententiã & And.de Isern. secutº est. *in d.c.*

vni.

vni.si vasal.priuetur.argum. eiusdem. Cæterum adgnatis etiam exclusis, ad dominum reuerti glossa existimauit. *in verb. reuocab.in fin. in d.vers.si vas.culp.& vers.facult. in d.c.vnico.in fine.de allod.ar.d.θ.fin.in princip.in c.vni.Quæ fuit prima cau.* Quam opinionem Bartolus *in l. eum qui.D.de interdict.& relegat.* Iacobus de Beluiso, Baldus & Aluarottus, & cæteri frequentiori calculo probarunt. *in d.θ.fin.* Eamq; tanquam communem, & de consuetudinis lege veriorem. *in.d.θ.fi. in prin.in c.vni.cir.fin. An ille, qui interfecit fratrem.* ipse sequor: Vt dominus hanc saltem iniuriæ suæ vltionem habeat. *d.θ.fin.in fin. pri.* Nam quod traditum est, feudum antiquum ex delicti à vasallo perpetrati causa apertum: ad vasalli delinquentis adgnatos in quarto gradu

gradu existentes, quandoque trá sire. *d.c.vni. Si vasall feud. priuet. & d.vers.si vasall.culpam*, locum sibi vendicat, cùm delictum commis sum non domini, sed alterius personam respicit. hoc enim ca-su vasalli delinquentis descendē tibus & domino exclusis, ad eius dem agnatos feudum apertum pertinere, consuetudinis lex ex-presse tradidit. *in d.§.fin.vers.si verò &c, vni.in prin. An ille, qui interfecit.* Agnatos inquã eos, qui in quar-to, vel remotiori gradu vsque in infinitum existunt: non eos, qui in primo, vel secundo, vel tertio gradu extant. hi namq; vt descē-dentes, similiter excluduntur *d. versic.si vasallus culpam.* Siquidem in eis, sicuti in descendentibus, propter arctissimum sanguinis vinculū, eiusdecriminis exempla

meritò metuantur. *arg. l. humanitatis. in fin. l. partis. C. de excusat. tutorum*. Quod Iacobus de Beluiso tradidit. *in d. c. vni. An ille, quæ inter, quæritur.* atque aduersus Andreã de Isernia. *d. vers. si vasallus culpam.* & Aluarottum. *in d. §. fin.* receptus est. Sanè si vasallus vel in domini sui, vel alterius personã tale delictum commiserit: ob quod ex consuetudinis feudalis dispositione, ciuiliter non punia tur, id est, feudo suo directò non priuetur: si tamen eius delicti nomine contra eum criminaliter agatur: atque sententia aduersus eum criminaliter lata: eiusdem bona publicentur. *argu. l. 1. D. de bonis damnato. & l. deportati. D. de bonis proscript.* hoc casu tale delictum à vasallo commissum, etiã in feudo tã antiquo, q̃ nouo

nouo eiusdem descendentibus obliquè nocere, Bartolus *in d. leũ qui.* atque Baldus, *in d. c. vni. An ille, qui aduersus dominum, in regul. nõ debet. De reg. iuris. lib. 6.* Ioãnes Andreæ & Panormitanus *in d. c. fin. De feud.* rectius tradiderũt. Et ideò si feudum, de quo agitur, nouum fuerit: vasalli descẽdentibus & agnatis exclusis, non ad fiscũ transibit: sed ad dominum reuertetur. Sin autem antiquum descendentibus & domino exclusis, ad agnatos, non fiscum, perueniet. publicatis enim generaliter vasalli bonis, eiusdẽ feuda nõ publicari, Bartol. Alexan. *in l. si fin. C. si de vect.* D. *de dam. infi.* Bal. *in l. 1. in pri. quæst.* D. *de rer. diui.* Andr. de Isern. *in c. vni. post princip. vers. item si fratrem. Quib. modis feud. amitta. tit. pri.* atq; alij nõnulli senserũt. Ne eorũdẽ

dominos præter ſuam culpam in deteriori conditione conſtitui contingat. *arg.c.non debet. De reg. iuris lib.6.& l.non debet.D.de regu. iuris.c.prim. in final. prim. part. De prohib.feudi alienat. per Loth*. Nec etiam huic ſententiæ Bonifacij octaui conſtitutio reluctatur, *inc. fælic.in.fin. prin.verſ.ſiquæ verò feuda.De pœnis lib.6.* Nam in eos dirigitur, qui ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalem, hoſtiliter proſequuti, tanquam criminis læſæ maieſtatis rei, damnantur: atque omnibus ſuis bonis, etiam feudalibus & emphyteuticis priuantur. *arg.d.l.quiſquis*. θ.1. Vnde hoc caſu, ne domini feudi publicati conditio, præter eiuſdē culpam deterior fiat: Speculator rectiſsimè tradidit. *in tit.de feu.θ.quoniā.verſ.40.quær.* feudū publicatū ven-

vendendum, atque pretij recepti partem vnam feudi domino pro eiusdem directo dominio, alteram verò fisco, vtilis dominij nomine, numerandum esse. Sanè si feudum de cuius publicatione ageretur, tale esset: vt ex domini & vasalli conuentione, etiam ad extraneum hæredem transire posset. *argu. c. vnic. De feudo non hab. propriam.* in generalem omnium bonorum publicationem veniret. Sed non nisi ad id tempus penes fiscum remaneret, ad quod aliàs penes vasallum remansisset: *argument. l. flatius. §. Cornelio D. de iure fisci*. postea verò ad dominum, si nouum esset: vel vel si antiquum, ad vasalli delinquentis adgnatos deuolueretur. *Aluarott. in d. §. fin.* Vasallus quoq; feudum suũ apud aliũ constitutũ

violenter inuadens, suaeq; temeritatis nomine ius feudi amittẽs. *l. si quis in tantam. C. vnde vi. Baldus in l. pen. C. si à nõ comp. iud.* feudi possessionem violenter ablatam, nõ domino suo nec agnatis suis: sed possessori restituere, cogetur. *ar. d. l. si quis in tantã.* Ita tamen, vt penes possessorem diutius non remaneat, quàm penes vasallũ mansura fuisset. *Iacob. de sancto Georgio, in tractatu suo in verb. dictiq; vasalli promiserunt non commit. felo. in fin.*

QVIBVS BENEFICIARij delictum obsit: & ex quibus caussis dominꝰ beneficij proprietate cadat: & cui proprietas commissa hoc iure deferatur? Caput XVII.

SEd q̃is ex suprascriptis generaliter colligere liceat, vasalli delictũ siue in dñi sui, siue alteriꝰ personã cõmissũ, in feudo tã anti

quo

quo,q̃ nouo,oĩbus eiusdẽ descendentibus regulariter:adgnatis verò aliquando nocere : id tamen perpetuum non est. Nam si vasallus domino suo secum colludente,in eum deliquerit : huiusmodi delictum,nec eiusdem descendentibus,nec agnatis nocebit *Baldus in d.c.vni.vers.item si libellario.Quib.modis feud.amitt.titu.prim.* Idem erit,si delicti à vasallo in dominum commissi,dominus causam dederit. *Aluarott.in d.§.fin.* Si quoque vasalli delinquentis descendentes,vel agnati ad feudum nomine proprio, non ex vasalli delinquentis persona venirẽt:eiusdem delictũ ipsis non noceret. *Bartol. in d.l.eum qui.Bal.in l. leg.* 12. *tab.C.de legit.hær.* Vt si statim ab initio feudi dominus vasallo feudũ pro se, suis descendentibus,&

adgnatis nominatim cõceſsiſſet: vel idipſum vaſallus in ſtipulationem expreſſe deduxiſſet: vel ſi feudi dominus in eiuſdem inueſtitura hæc verba expreſſiſſet. Tale feudum tibi & tuis hæredibus concedo: vel vt de vno in alium tranſeat: vel vobis omnibus principaliter: vel attentis veſtrum ſingulorum meritis. *Baldus in d. §. final. & d. c. vnico. Si vaſall. feudo priuetur.* Adde nec delictum patris filio in eo feudo nocere: quod delicti à patre commiſsi tempore, apud auum adhuc exiſtebat. *Bar. in d. l. eũ qui. Bal. in d. c. vni. Si vaſal. feud. priue.* Quinimò ipſe filius, idemque nepos, patre ſuo per iudicis ſententiam à futuro feudi iure ſecluſo, ſtatim in eiuſdem locum ſuccedere incipit. *ar. l. gall. §. & quid ſi tantum.*

D. de

D. de libe. & posth. Denique si feudum ob eam causam alicui concessum fuerit: quod concedentē ab hostibus, vel latronibus eripuerit, vel aliàs à morte liberarit: ex nullius delicti causa amitti: & per consequēs domino, vel agnatis aperiri poterit. *argument. l. si pater. 8. fin. D. de donat.* Cæterū admonēdi sumus, illis omnibus casibus: quibus feuda ad nos iure reuerti, suprà comprobauimus: dominum ad vasalli debita persoluenda non teneri. *argument. c. vn. An agnatus, vel fili. def. Iacobus de Bel. Aluarottus in c. vn. in prin. vers. quid ergo. De inuest. de re alie. fact.* Verū enimuerò cùm ex honestatis ratione, dominus vasallo suo in omnibus propemodum mutuam vicem præstare teneatur. *c. vn. in fin. de form.*

fidelitat. vltimo loco admonendi sumus, ex omni offensa, qua vasallum feudo priuari suprà tradidimus, & dominum feudi proprietate priuari: Non habita ratione, in vasallum, an alium cõmissa fuerit: Nec distinguendo, an vasallus iuratus sit, an min⁹. *d. c. vn. §. fin. in princ. Si de feudo defunct. contentio sit. c. vn. Qualiter dominus feudi proprie. priuet.* Si modò ex pacto statim ab initio inito, iurare non teneatur. Aliàs enim, si sine iusta causa iurare recusarit, atque ante iuramentum præstitum à domino suo offensus fuerit: eius offensi nomine dominus feudi proprietate non priuabitur. *Aluarottus in d. §. fin. in princ.* Sanè sicuti vasalli, ita & domini offensam in iudicium legitimè deductam: atq; quinq;

quinq; idoneorum teſtium numero probatam. *argument. c. vn. Quot teſt. ſint neceſſ.* & ſubſequẽte iudicis ſententia vel declaratoria, vel priuatiua approbatam eſſe, oportet: vt proprietatis feudi priuationem inducere poſſit. *argument. c. 1. De feud. ſine culp. non amitt.* Proprietas ergo in hũc modum aperta, pro offenſæ commiſſæ diuerſitate, vel vaſallo, vel domino, vel agnatis defertur: ſecundum ea, quæ ſuprà de feudis ob vaſalli delictum apertis, vel domino, vel agnatis applicandis diximus.

DE

DE IVRE FEVDORVM GVLIELMI HANNETONII LIBER QVARTVS:

Exemplarium diuersorũ collatione emẽdatus: & conuenienti capitum distinctione: appositioneque τῶν κεφαλαίων exornatus, industria & labore Ioannis Hauichorstij Monasterienſis.

DE COMPETENTI *ſuper beneficio motæ quæſtionis & controuerſiæ diſceptatore ac iudice.*

Caput I.

VT rectius cognoſci poſſit, quomodo feudales cõtrouerſiæ decidantur: in primis inueſtigandum puto: quis in eis iudex competens ſit. Et ſi inter primi gradus vaſallos, quales ſunt Duces, Comi-

Comites, & Marchiones, de regali feudo quæstio oriatur: supremus princeps, à quo ipsi se inuestitos dicũt, iudex cõpetens erit. *c. vn. in prin. Apud quem, vel quos contro. feud. fini. c. vn. in prin. De leg. Conradi.* Idemq; dicemus, si inter alios priuatos, qui se à supremo aliquo Principe de feudo inuestitos asserunt, controuersia nascatur. *d. c. vn. in princ. ibi quicunque fuerint. De lege Cõradi.* Si verò inter alios, vel secundi, vel tertij, vel quarti gradus vasallos, super feudo vel toto, vel parte, seu eiusdem finibus quæstio incidat: atque litigatores eiusdem domini indubitati vasalli sint, (vt quia eos ab ipso alia feuda, ab illo de quo agitur diuersa habere cõstat) dominus ille solus iudex competens erit. *c. vn. ℣. fin. vers. præterea et ibidẽ gloss.*

in

in verb. duos. De prohibit. feud. alienatione per Fredericũ. Licet in quibuſdam locis ex ſpeciali conſuetudine cum domino, vel Curiæ ſuæ pares, vel alij adiuncti neceſſarij ſint. Sed ſi duorum vaſallorum ſuper feudo litigantium, alter ſit indubitatus vaſallus domini feudi de quo contẽtio eſt: alter ambigu⁹ (vt quia eũ ab ipſo aliud feudum, ab eo de quo contenditur diuerſum, habere cõſtat) pares Curię illius domini, id eſt, cõuaſalli, qui eidem domino aliorũ feudorum, quæ ab eo tenent nomine, fidelitatem iurârunt, iudices competentes erunt. *d. c. vn. in prin. ibi, ſi inter valuaſores. De lege Conradi. d. c. vn. in prin. ibi. ſi vero. Apud quem vel apud quos.* Si autem vterq; ipſorum domini feudi, de quo cõtrouertũt, ambiguus vaſallus

fallus sit, atq; feudum ipsum suũ proprium, & de nouo sibi concessum esse dicat, iudex ordinarius vel arbiter communi ipsorũ consensu electus, iudex cõpetẽs erit: Idq; siue eundẽ, siue diuersos inuestitores asserãt. *d. c. in prin. vers. si aũt. De lege Cõr. c. vn. in prin. An apud iudicẽ vel Curiã domini. c. vn. § j. vers. si domino. & vers. si tres. De pace tenẽd. et eius vio.* Nec enim hoc casu constat, quis sit dñs feudi, de quo agetur. *gloss. & in dict. c. vn. An apud iudicem.* Si verò vterque vasallorũ ambiguorum feudũ, de quo disceptant, antiquum esse prętendãt, dominus illius feudi, vnà cũ Curię suæ paribus iudex cõpetens erit. Hoc enim casu feudi, de quo agitur, ipsum dñm esse cõstat. Sed si alter ipsorum feudũ ipsum antiquum esse contẽdat:

alter

alter suũ proprium,& de nouo à se acquisitũ asserat: secundum recentiorem consuetudinis legem pares Curiæ domini soli iudices competentes erũt:etiamsi is, qui feudum nouũ esse contendit, à domino causam habeat: hoc est, pecunia numerata feudũ ipsum, tanq̃ nouum, vel eiusdẽ partem ab ipso redemerit:Eaque ratione aduersus ipsum de euictione regressum habere possit.*d.c. vn.post prin.ibi. & responsum. An apud iudicem, vel Curiã domini.* Licet secundum antiquiorem cõsuetudinis legem, hoc casu solus iudex ordinarius,vel arbiter,iudex competens fuerit.*d.c. vn.in prin. De inuesti in marit.fact.* Quæ consuetudo cum rationabilior fuerit, frequẽtiori fortasse vsu hodie passim recepta est. Sanè si inter vasallũ, & alium

alium non vaſallum de feudo lis oriatur: corã iudice ordinario lis decidetur. *arg. c. vn. De contro. inter vaſall. & aliũ.* Idq; ſiue vaſallus ad uerſus aliũ agat, ſiue alio agente, excipiat. *d. c. vn. ibi. ipſe enim. De cõt. in. vaſal. & aliũ.* Idemq; reſponde bimus, ſi inter feudi dominũ, & alium non vaſallũ de feudo contentio ſit. *arg. c. cum ſit generale. De foro cõpet. et l. iuris ordinẽ. C. iuriſdict. omniũ iudic.* Cęterum ſi inter feudi dominũ & vaſallum de feudi vel inueſtitura, vel amiſsione, vel violentia quæſtio naſcatur: eiuſdem cognitio deciſioq; ad pares Curię ipſius domini, ſi quos habet, pertinebit. *d. verſ. præterea. ibi ſi verò. in d. c. vn. De prohib. feud. alie natio. per Fred. c. vn. in prin. De cõtro. feud. apud par. c. vn. in prin. verſ. ſi inter. De alienat. pater feud. c. vn. De*

contro. inter Episcop. et vasal. Quod quidem obtinet, etiam si feudi dominus ex supremorũ principum superiorem nõ recognoscentiũ numero sit. Si tamen Curiæ suæ pares, propter eiusdem tyrannidem, vel alium iustum metum, de suprascripta controuersia cognoscere, & iudicare non auderent: in subsidiũ Romanus Pontifex adeũdus esset. *arg. c. nouit. De iudi.* Vel si feudi dominus superiorem aliquem principem recognosceret, ad eum eundum esset. *arg. c. vn. in fin. De milit. vasall. qui cont. est.*

DE PERSECVTIONIS

genere, deq; litigantium beneficiariorũ, & domini iudicantis persona, quod hæc ipsa forũ nõ immutent: & de paribus Curiæ iudicibus, quod eiusdẽ cum vasal-

Vasallis litigantibus graduse ſſe debeant: & de numero parium, quod non omnes ſimul cognoſcere et iudicare teneantur: & de caſibus, quib. teſtes potius eſſe pares debeãt, quàm iudices: et de eiſdem inuitis & recuſantibus ad iudicandum cogendis.

Caput II.

HAec quidem omnia locũ ſibi vendicãt, nõ ſolùm ſi feudi nomine petitorio iudicio: vtpote directa, vel vtili rei vendicatione. *arg. d. c. vn. De cõtro. inter vaſal. et aliũ. c. vn. in prin. verſ. rei autem. De inueſt. de re alie. fact.* ſed etiam ſi poſſeſſorio, vtputa interdicto vnde vi, vti poſsidetis, vel conſimili agatur. Quod Innocentius, Baldus, Panormitanus atque alij, *in c. cæterum. De iudicijs*, aduerſus Gloſſam, *in d. c. cæterum. in verb. quamdiu ibi, ſcilicet in iudicio*

tradidêre, receptiusq; est. *arg. d. c. vn. vers. si vero vasall. De milit. vasall. qui contu. est.* Ideoq; vasallũ aduersus dominum suũ, vnde vi interdicto, feudi spoliati nomine experiri posse, aduersus Innocẽtium, communiterq; doctores. *in d. c. cæterum* putarim *arg. d. vers. si verò vasal.* Vt etiam suprascriptis omnibus locus sit, nõ referre puto, an vasalli de feudo litigantes laici sint: & feudi dominus, qui de eorũ controuersia cognoscit, ecclesiasticus. *d. c. cæterũ. et c. ex parte. De foro cõpetent.* An ex diuerso, vasalli de feudo contẽdentes clerici sint: dominus verò corã quo eorundem contẽtio ventilatur, laicus. *c. ex transmissa. c. verũ. De foro competent.* vel feudi dominus cum vasallo suo litigans ecclesiasticus, & curię suę pares prophani

ni. Naturam enim cauſæ propha næ, id eſt, feudi ſecularis vaſalli clerici perſonam, ſuo priuilegio non obſtante. *c. ſi diligenti. De foro comp.* ad ſe trahere, Innocẽtius, Panormitanus *in d. c. cæterũ.* Baldus. *in c. vn. De contro. feud. apud par.* & Alexãder *conſ. ſuo* 78. *in princ. vol.* ſenſerũt. Quod aduerſus Iacobinum. *in tract. ſuo, De feud. in verb. & dicti vaſalli prædict. reb. feud. conuent. poſt prin.* ipſe recipio: Verumque eſſe puto, etiamſi feudi dominus contra vaſallum ſuum clericum, delicti ab eo commiſſi nomine ciuiliter ad feudi priuationem agat. Cumque coram curiæ ſuæ paribus prophanis hominibus conueniat. Contrà cenſerem, ſi delicti à vaſallo clerico perpetrati, nomine, aduerſus eum criminaliter ageretur.

argum. c. clerici. De fo. comp. Pares autem Curię, qui de feudali controuersia cognoscunt, eamq; decidunt, cum vasallis esse debere eiusdem gradus, cuius vasalli litigantes sunt, Ioannes Andręæ, Innocētius & Panormitanus putârūt. *in d. c. cæterum.* Et rectè. Sed an omnes Curiæ pares simul cognoscere, iudicareq; debebunt? Et non debere putârim. Nam ad probationem nonnunquàm necessarij sunt, vt infrà docebimus. Nec in eadem causa eidem & testes, & iudices esse possunt. *l. nullus. D. de testib. l. vn. C. ne quis in sua causa iud.* Et ideo, si inter feudi dominum & vasallum de feudo cōtētio sit, in primis dominus illū, aut illos pares, quos voluerit, eliget: Et proinde vasallus secundū numerum à dño comprobatum,

idem

idē faciet. *d. c. vn. post prin. De cōtro. feud. apud par.* Sed quid? si feudi dominus tam paucos Curię suę pares habeat: vt omnes, vel ad iudicandum, vel testificādum necessarij sint? Et si feudi controuersia talis sit, in qua nō nisi per Curiæ pares probatio fieri possit, *c. vn. in prin. Qui test. sint necessarij ad no. inuest. prob.* ne probandi facultas, & per cōsequens agentis ius pereat. *arg. ℓ. veritas. in l. illicitas. D. de officio præsidis.* curię pares testes potius, quàm iudices erunt. Si verò lis feudalis talis fuerit, in qua aliorum legitimorum testiū testimoniū ad probationem sufficiat, *vers. de veteri. in d. c. vn. Qui test. sint necess.* Curiæ pares non testes, sed iudices potius erunt: & si esse nolint, cogentur. *argument. l. fin. vers. iudicandi.*

D. de muneri. & honori. l.pen. verſ. qui autem. D. de vacat. & excuſat. nume. Quod aduerſus Iacobum de Beluiſo, & Aluarottum, *in d.c.vn. An apud iudi. vel curiam domini.* verum eſſe puto: etiamſi cũtrouerſiæ ortæ cognitionem, deciſionemq́ue antea non acceptaſſent. Idemq́; & de feudi domino Gloſſa reſpõdit. *in d. verſ. ꝑterea. in verb. duos. ibi. ſed quid.* Eos enim inuitos etiam ſtatim ab initio ad cognoſcendum iudicandumq́; cõpelli poſſe, receptius eſt. *d. verſ. præterea & c. vn.* De *contro. apud pa.* Niſi fortè iuſta excuſationis cauſa ſe tueãtur. Quo caſu vel ordinarius iudex adeũdus erit. *d. gloß. in verſ. præterea. arg. d.c. cũ ſit generale.* vel ex communi litigatorum conſenſu arbiter eligendus. *Inno. in d.c. cæterum,* vel in ſubſidium ſuperio-

superioris iudicis auxilium implorandum. *arg.d.c.vni.in fin. De milit.vasal.qui cont. est.* Sicuti & eo casu, quo feudi dominus in Curia sua nullos pares habeat, qui de feudali controuersia cognoscere possint. *arg.c.vni.in fin. De content. inter dominum & vasallum.* Sed ne pares Curiæ in feudali controuersia iudices esse facilè detrectẽt in quibusdam locis ex speciali fidelitatis forma, statim cum de feudo inuestiuntur, iurare cogũtur, quod ipsi in posterum requisiti, & iudicabunt, & iustitiam, quam poterunt administrabunt. Et quẽ admodum de iure scripto omnes iudices stetim ab initio officij sui, etiam inuiti iurare tenentur: quod in posterum secundum iustitiam semper iudicabunt. *Auth. iusiurãdum, quod præstatur ab ijs, qui*

adminiſt.hab. Ita & feudi dominũ, & Curię ſuæ pares etiam inuiti ſtatim ab initio iudicij hoc iuſiurandum præſtare debere Iacobinus, *in d.loco*, exiſtimauit: & rectè. *ar.d.verſ.præterea.in fin.* Fidelitatis enim iuramentum à paribus domino ſemel præſtitum ſufficere non debet: cùm ſolius domini non etiam vaſallorum cum domino litigantium fauorem reſpiciat. Et ſi feudi dominum, vel fauore, vel alia praua affectione ductum, vel pecunia corruptum, aduerſus vaſallum ſuum coram ſe litigantem, iniquam ſententiam tuliſſe conſtiterit: feudi proprietate priuari poterit. *argument. cap. vnico in fine. Si de feud. defunct. contentio ſit. c. vni. Qualiter dominus prop. feud. priu.* Sanè ꝙ ſupra tradidimus, feudi contro-

controuersiam nõnunquam coram feudi domino, nõnunquam coram curiæ paribus agitandam esse: exceptionem patitur, si vel litigatorum priuilegium, vel loci consuetudo aliud expostulet. *Baldus in d. vers. præterea.*

DE FORMA EXERcendi iudicij, & causas beneficiarias coram suo iudice disceptandi ratione ac modo.
Caput III.

COgnito igitur coram quibus iudicibus feudales controuersiæ, & agitari, & finiri debeãt: consequens est vt perueſtigemus quo ordine id faciendum sit. Etsi in aliquo iudicij articulo consuetudine feudali aduersus ius scriptum

tum quid ſpecialiter receptum ſit: id ſine dubitatione obſeruabimus. In aliis verò iudicij articulis iuris ſcripti ordinem ſequemur. *arg. c. vni. in fin. 1. partis. De feudi cognitione.* Et ideo in feudorum, ſicuti aliarum rerum controuerſijs, actor ſtatim ab initio Reum in ius legitimè vocare debebit. *d. c. vni. & ibi gloſſa, in verb. ſed ſi. De mil. vaſal. qui cont.* Et reus, vel trina citatione, vel vna peremptoria legitimè vocatus venire debebit. *d. c. vni. in fin. De inueſt. in marit. d. c. vni. in fin. An ap. iud. vel cur. argu. l. 2. D. ſi quis in ius vocatus non ie.* Qui vbi comparuerit, exceptiones declinatorias fori, id eſt iuriſdictionis illius iudicis, ad quem vocatus eſt, ſi quas habuerit, ante litē conteſtatam proponere poterit: etiamſi feudi dominus, vel Curię pares

pares iudices sint. *d. gloss. in verb. ad dominum in d. c. vni. De inuest. in marit. facta. argumen. l. nemo. C. de. iurisd. omni iud.* vel si eorundem iurisdictionem, cum possit, declinare nolit: foro suo renuntiando, & in eos, tanquam iudices aliàs incompetentes, scienter & cum aduersarij sui voluntate consentiẽdo: eorundem iurisdictionẽ prorogare poterit. *d. gloss. in verb. duos in fin. in d. vers. præterea.* Quod aduersus Baldum. *in l.* 1. D. *de iudicijs* Innocentius, Ioannes Andreæ, communiter Doctores, *in d. c. cæterum.* verius puto. *argu. l.* 1. *&* 2. *in prin.* D. *de iudic. l* 1. C. *diuersi omnium iud.* vel etsi Reꝰ domini, vel pariũ ad quos vocatus est, forum declinare non posset (vt quia competentes iudices sunt) ex certis tamen, & iustis causis eos sibi suspectos

ctos allegare, eoq; nomine eos re cusare poterit: idq; secundum iuris vel canonum. *c. suspiciõis in pri. de off. iud deleg. c. cũ speciali in pri. De appel.* si feudũ, de quo disceptatur eccleſiaſtic: vel ciuilis, ſi ſeculare fuerit, diſpoſitionẽ: *Au. ſi vero cõt. C. de iudi.* dũmodò tamẽ antè litis ingreſſũ id fiat. *arg. l. apertiſſimi in princ. C. de iudic. c. inter Monaſterium De ſententia & re iudicat.* Quod ad uerſus Iacobum de Beluiſo *in c. De inueſt. in maritum facta*, Baldus tradidit. *in. d. verſ. præterea.* recepti uſque habetur. *in d. ver. præterea.* Reo autem comparente, nec domini, vel parium ad quos vocat⁹ eſt, iurisdictionem declinante: Actor imprimis libellũ edere debebit: vt ex eo deliberare poſſit, li ti ne cedere, an cõtẽdere vltra debeat. *ar. Au. offer. C. de lit. cõteſt. l. 1. in princ.*

prin. D. *de edendo. c.* 1. De *libelli obl.* Tumq; reus in hunc modum cõuentus, si viciſſim actorem, ſuper alia re non feudali recõuenire velit nulla actoris exceptione ſibi obſtante, poterit. *gloſſa fina. in d. c.* 1. De *controuer. feud. apud par. curiæ. ar. l. cum Papinianus in fin. C. de ſent. omnium iud. dd. in verſ. præte.* Si modo apud eundem, vel eoſdem iudices hoc agat: *arg. Authen. & conſequenter. C. d. tit. l. ſi idem cum eodem.* §. 1. D. *de iuriſdi.* Nec de cauſa merè ſpirituali apud dominum vel pares laicos recõueniat. *arg. c. quanto. c. cauſam.* D. *præſc.* Proïde inter actorẽ & reũ litẽ cõteſtari oportet. *ar, c.* 1. De *lit. cõt. l.* 1. C. *eodem* Quo peracto, ſtatĩ vterq; calũnię vitãdę iuramentũ pſtabit. *ar. l.* 2. C. *iur. cal.* Si modò inter vaſal. de feu. cõtẽtio ſit: Nã ſi intet feudi dñm

& vaſal.

& vasallum controuersia fuerit: vasallus à domino propter eiusdem reuerentiam hoc iusiurandum exigere non poterit: & per consequens nec dominus à vasallo. *c.1.§.1. De consue. rectifeudi.* vt inter eos æqualitas (quæ in iudicijs vel maximè obseruanda est. *c. in iudicijs. c. non licet* De *reg. iur. lib. 6*) constituatur. Et si dominus volens id iuramentũ præstiterit: à vasallo inuito ipsum exigere non poterit. Quod aduersus Iacobũ de Beluiso. *in d.§.1.* Baldus & Aluarottus rectius tradiderunt: ne in domini potestate situm sit, pro suo arbitrio vasallum hoc beneficio priuare. Sanè si vel ante, vel post litẽ contestatã, reus in nõ cõparendo, vel iudici nõ obtẽperando cõtumax extiterit: cõtumatiæ eiusdẽ coërcendæ nomine, actor vel

vel in rei petitæ (si in rem actione actum sit) vel si in personam actione actum fuerit, in bonorũ eiusdẽ possessionẽ, pro debiti declarati mẽsura, ex primo, vel post anni postea subsecuti lapsum, ex secũdo iudicis decreto mittetur. *d.c.1. De mil.vasal.q cõt.est arg.c.quoniã frequenter. 8.fin.vt lit.nõ contest. Auth.et qui iurat.C.de bonis aucl.iud. poss.* Et si reus ante suprascripti anni lapsum cõparens, vel iudici obsequẽs, contumaciã suã excusarit: atq; in iudicio postea sistẽdi legittimã cautionem præstiterit: aduersarioq; suo omnes impẽsas ob suã contumaciã frustrà factas refuderit: audietur, rerumq; suarũ possessionẽ recuperabit. *d.c.1. De milit.vas.arg.c.cũ veniss em. De eo, qui mitt.* Cumq; exceptiones peremptorias, si quas habuerit, ad-

uersus actoris intentionē obijcere poterit. *arg.l. peremptorias.C. sententias rescindi non posse.*

DE GENERIBVS PRObationum in rebus cauſsis q̄ beneficialibus: et de præſumptionibus, quæ aſserē tem probandi onere leuant: et de iureiurādo ad cōtrouerſiæ ſuper beneficio natæ deciſionē, in defectum plenæ probationis deferendo.

Caput IIII.

INde ad ꝓbationes deuenietur. Qua in re inprimis actor intentionē ſuā *ar.l. qui accuſare. C. de edēdo. l. ij. D. de probatio.* Proinde reus ſuā exceptionē legittimè ꝓbare debebit. *arg. l. exceptionem in fin. C. de probat.* Idq; vel per aduerſarij confeſsionē. *ar. c. p̄ſentiū. De teſtib. lib. 6.* vel idoneos teſtes. *arg. c. ſuper. De teſtibus cogendis*: vel breue teſtatū, id eſt, inſtrumen-

mentũ publicũ. *arg.l.in exercendis C.de fide instru.* vel prę sumptiões. *arg.l.fin.C.de ꝓbat.* vel in subsidiũ, per iurisiurãdi sibi delati ꝓstationẽ. *arg.l.1. D. de iureiur.l.1.C.de reb. credit.* Si aũt de noua feudi inuesti tura cõtentio sit, eã per duos ad minus Curię pares, breue testatũ ab eis cõprobatũ probari oporte bit. *d.c.j.in prin. Qui test.sint necess.ad no.d.c.j.in prin.vers. si enim. Quid sit inuest.c.j.in prin.vers.alij. De cõtent. inter dominũ & fid.* In illius tñ probationis defectũ, per duos alios extraneos testes omni exceptiõe maiores: vel instrumentũ publicũ, ab eis cõfirmatũ, eam probare sufficiet. Vt si dñs feudi, de cuius inuestitura disceptatur, inuestituræ tẽpore nullos alios vasallos habuerit: vel si quos habuerit, ꝓbatiõis faciẽdæ tẽpore nõ super-

sint. *c.j. §. j. in fin. Quid sit inuest. c.j. in prin. ibi, testes verò, et §. j. in prin. Si inuest. inter dominũ et vasallũ lis oria. d.c.j. vers. cõsules. Qui test. sint necess. d. d.c.j. in prin. vers. quod aũt. De cõsue. recti feudi.* Si enim inuestiturę tẽpore feudi dñs alios vasallos habuerit: & duo saltẽ ex eis inuestituræ factæ non interfuerint, sed oẽs abfuerint: inuestitura sine eis facta, tanq̃ substantiali sua solẽnitatẽ destituta, viribus non subsistet. *d.c.j. in prin. Quid sit inuest. d.c.j. in prin. Qui test. sint necess.* Nã si oẽs vasalli absint, duo ad minus expectãdi sunt. *d. vers. quod aũt ibi, nec dicatur. glos. in verb. inuestiturã. in d. c.j. in prin. Si de inuest. inter dom. & vasal.* Hęc quidẽ in feudo seculari vera sunt: cęterũ ad feudi ecclesiastici nouã inuestiturã probandã pariter, & pares, & extranei testes admit-

admittũtur. *d.c.j. in fin prin. Si de inueſt. inter dominũ et vaſal.* Sicuti & ad veterẽ feudi tã ſeculares, q̃ eccleſiaſtici inueſtiturã probandã. Sanè in feudalib⁹ cõtrouerſijs etſi regulariter vel actor agẽdo, vereus excipiẽdo aliquã qualitat allegãs, ſuper qua ius ſuũ fundet ſi in cauſa obtinere velit, eã legit mè ꝓbare debeat. *c.j. θ.j. Si de feud def. cõtr. ſit. c.j. De cõtro. inter maſ. & fœm.* Si tñ aliqua p̃ſumptione iuuetur: illa à ꝓbandi onere ipſum ſubleuabit, onusq; cõtrariũ probãdi in aduerſariũ trãsferet. Vt ſi q̃s agẽdo, vel excipiẽdo feudum antiquũ eſſe aſſerat: aduerſarius verò ipſum nouũ eſſe cõtendat. *c.j. De ſucceſ. frat. et grad. ſucced d.c. j. in ij. par. De inueſt. in mar. fact. d.c. j. in prin. Si de feud. def. cõtẽt.* Vel ſi q̃s feudũ rectũ & propriũ eſſe affir-

met: aduersarius verò ipsum nō re
cū esse dicat. *d.c.j.§.fi. Quid sit inuest.* nisi fortè aduersarius cōtraria et ve
hemētiori psumptiōe iuuetur: q̄
alterius psumptionē extīguat. Sed
plenę ꝓbatiōis inopia emergēte,
ne veritatem iustitiāue supprimi
cōtingat. in rātis sacramēto feudi
cōtrouersia decidēda erit. *d.c.j. in
prin. De cōtrouer. inter dominū et fid.
c.1.§.1. in fin. Quid si inuest. ar. l. admo-
nēdi. vers. solent. D. de Iureiur.* Et ideo
iudex, q̄ de ea cognoscit, illi litiga
tori iusiurādū deferet, q̄ vel semi
plenè ꝓbauerit: vel maiori psum
ptione iuuatur. *ar. c. fin. in ij. part.
vers. p[illegible] cōe. De iureiur.* Vel omni
psumptione vtrimq; deficiente,
ille q̄ feudū, de quo agitur, possi-
det. *c. vn. in prin. De cōtent. inter do-
minū et fid. vers. cōmodū. Instit. de in-
terdict.* Vel si neuter possideat, illi
cui

cui & personarũ, & causę qualitatibus diligẽter inspectis, potius deferendũ secundũ suã conscientiã prauerit. *d.c.1.post prin. vers. sacramatũ. De cõsuet. feud. d.c.1. in fin. De succes. fratrũ. ar. c. fin. in fin. De iuriur.* Hoc aũt iusiurandũ cũ ea electione deferetur: vt ille, cui deferur, iuret, id quod intẽdit verũ esse: idq; cum duodecim sacramẽtalibus, id est, duodecim viris siue paribus siue alijs, q. similiter iurẽt se credere id verũ esse, quod litigator iurauerit. Vel si iurare noluerit, iusiurãdũ sibi delatũ ad uersarium suo referat: vt similiter cũ duodecim sacramẽtalibus iuret, suã itẽtionẽ verã esse. Qui si iurare nluerit tanquã legittimè cõuictus condẽnabitur. *d.c.1. §.1. Si de inue. feud. inter dominũ et vas. d.c.1. vsin. prin. et §.1 in prin. Quid*

sit inuest. Quod secundũ rectiorẽ consuetudinẽ tum demũ locum sibi vendicabit: cùm hoc iuriurandum à parte parti delatum fuerit. Nã si à iudice parti delatũ sit, hodie illi, cui delatũ est, cũ quode cĩ vasallꝰ, vel ex parẽtib. ipsũ necessario p̃stare cogetur: alias succũbet. *d. vers. sacr. in fin. ar. d. c. fin. in fi. De iureiur.* Quod supra diximꝰ possidẽti feudũ, de quo agitur supra scriptum iuramentum deferẽdũ esse, obtinet si domino scientes, & non controdicente per annũ in feudi possessione fuerit. *d. c. 1. in fin. Si de inuest. inter dominum & vasall,* nec contra se aliquam pręsumptionẽ habuerit: aliàs enim, etsi possessor fuerit iuriurandi potestate non fruetur. *c. vni. in. 2. parte. De feud. guard. & cadal. c. 1. in 1. parte. De pig. dat. feud. quod iur. ar. c. vni.*

c. vni. De feud. dat. in vicem legis com miſſ. Niſi fortè alia præſumptione, quæ priorem elidat, iuuetur: vt ſi is, qui de fundo pignori ſibi obligato, ſe inueſtitum dicit, per xxx. annos continuos ipſum ſine aliqua pignoris conteſtatione, ab aduerſario ſibi facta, feudi nomine poſſederit. *c. vnic. De vſu Mediolanen.* Sed & ſi controuerſia inter dominũ & vaſallum, ſuper feudo orta: dominoimprobatiõe deficiente, vaſallus poſſidens nõ niſi ſupraſcripto iureiurando prius præſtito, abſoluatur: Vaſallo tamen in probatione deficiente, dominus poſsidens etiam nullo ſacramento præſtito abſoluitur *d. c. 1. §. fin. De conſue. recti feudi.* Si quoque defuncto alicuius feudi domino, quis ſe eiusdem vaſallum aſſerat: & defuncti domini

ſucceſſor id neget: ſi ex præcedē-
tis inueſtituræ tenore cōſtet feu
dū illud rectum eſſe: decreto pa-
rium cōpelletur ſucceſſor, eum
qui ſi eiuſdem verum vaſallum
aſſerit, verbaliter id eſt, literis da-
tis inueſtire, antequam de princi
pali cauſa cognoſcatur: hoc eſt,
inueſtigetur, an feudum vaſalli
ſit, an minus. *c.1. verſ. ſed laudatum. De contro. inter. Epiſ. & vaſ.* Idque
verum puto, non ſolùm ſi certū
ſit illum vaſallum à ſucceſſore a-
liud feudum tenere: eaque ratio-
ne eiuſdem indubitatum vaſallū
eſſe. *d.c.1. verſ. ſi inter De alien. pater. feud.* Sed etiamſi id ambigatur,
vel etiam cōſtet eum ab ipſo nul-
lum prorſus feudum tenere. *d. verſ. ſed laudatum*, fidelitatis tamē
iuſiurandum hoc poſteriori caſu
nō antea præſtabit: quàm de prin
cipali

cipali causa cognitũ fuerit. *d. vers. sed laudatum.* Eiusdẽ enim cognitiõe facta certo constabit, vtrum de fidelitate vasallꝰ iurare debeat: & ꝓpter iuramentum ꝓstitũ inuestiri. *d. vers. sed laudatum. in fin. d. vers. si inter. ibi sed si nihil.* Superiori verò casu etiam anteq̃ de principali causa cognitum sit, fidelitatẽ ꝓstabit. Siquidem eo casu, ea ex re nullum præiudicium ipsi contingere posset. *dc. 1. vers. fin.* De *cõt. inter Epis. & vasal.* Cæterum si ex præcedentis inuestituræ tenore constiterit, supradictum feudum rectum non esse: antequam de principali causa cognitũ fuerit, successor suprascriptum vasallũ verbaliter inuestire debebit. *d. vers. sed laudatum. ibi. de suo recto feudo. d. vers. fin. d. vers. si inter, ibi, de suo recto.*

DE

DE SENTENTIA CON trouersiarumbeneficialium diffinitiua: deq; appellationibus: & de temporibus earum,

Caput V.

PRobationibus ergo secũdum suprascripta factis, iudex pro eo litigatore sententiam diffinitiuam feret: qui, vel plenius vel efficatius probarit, vel iureiurando sibi delato ipse iuraucrit. *ar. θ verit. illicitas. D. de offic. præsid.* Idq; secundum solennitatem à iure scripto traditã. *c. fin. De sententia & re iud. lib. 6. l. 1. & fin. C. de sententijs ex breuicul. recitand.* Quæ quidem sententia, si contra vasallum lata fuerit: non solùm ipsi, sed & eiusdem quoq; adgnatis, etiam ignorantibus, & non

non citatis præiudicabit. Quod aduersus Andeã de Isernia *in d.c. 1. uers. si vasallus culpam. de feud. defunct. conten. sit.* receptius est.
Si quoque vasallo cum extraneo litigante, aduersus vasallum lata fuerit: etiam feudi domino, vtilis dominij respectu, nocebit: directi verò dominij intuitu, non itẽ *c. vni. in fin. De controuer. int. vasall. & alium.* A qua quidem sententia appellari poterit, ad aliarũ sententiarum ab alijs ordinarijs iudicibus, & super allodialibus prolatarum exemplum. A domino itaq; feudi, vel paribus Curiæ eiusdem ad alium superiorem dominum cui feudi dominus immediatè subest, appellari poterit. *argum. l. Imperatores. D. de appellatio. cap. Roman. De appellatio. in sexta.* Et in huiusmodi appellatione intra

intra decem dies, vel interponenda. *ar. Authen. hodie C. de appel* vel intra annum, vel ex iusta causa biēnium persequēda & finiēda. *Aut. ei, qui appellat. C. de tempor. appella. c. cum sit Romana. c. personas. c. ex ratione.* De *appellat.* atq; etiā in petēdis à Iudice à quo, apostolis, & sui p̄sentatiōe corā iudice ad quē faciēda. *c. ab eo.* De *appellatio. in 6. l. p̄ses. C. de appel.* tempora à Iure scripto cōstituta obseruabuntur. Illud autē omittendum non est, q̄ si in controuersijs feudalibus ad Imperatorem immediate appelletur: appellantē intra hebdomadas sex vtiles vnà cum suis paribꝰ, à quib. appellauit se p̄sentare debere. *c. 3. in fin. & ibi glossa fin. Quo temp. mil.* in reliqs vero Iuris scripti traditiones sequimur. *arg. vers. strenuus c. 1. De feu. cognit.*

DE

DE BENEFICIIS IMproprijs, & à vera propriaque beneficiorum natura speciali contrahentium pactiõe discedentibus: déque varijs generibus eorundem

Caput VI.

CVm de vulgata regula, altero contrariorum cognito, cognoscatur & alterum. §. 1. *Instit. De his qui sui, vel alieni Iuris sunt*, atque in superioribus libris, recti seu proprij feudi naturã latè exposuerimus: ex illis facilè collegi posset, quę feuda nõ recta, seu de generãtia sint. Nã generaliter ea feuda à recti feudi natura degenerare dicenda sunt: quæ ex conuẽtione inter feudi dominum & vasallum statim ab initio, id est, concessionis inuestituraéue tempore inita, vel præter, vel contra communem

munẽ feudi naturã in aliquo, vel aliquibus capitulis ſpecialem naturam induerint. *argu. c. 1.θ. fina. Quid ſit inueſt.* Dicenda, inquam, ſunt ea omnia feuda degenerantia eſſe illius, ſeu illorum capitulorũ reſpectu, q̃ p ſpecialẽ cõtrahẽtium pactionẽ alterata sũt. reliquorũ verò capitulorũ nõ ĩmutatorũ intuitu, ea recta & ſimplicia eſſe dicem⁹. *Bald. in l. j. xvj. q. D. de rẽ diuiſione. c. j. De cap. j.* Cum ergo feudum rectum gratis concedi debeat. *c. j. in fin. De feud. in vicem legis commiſs. c. j. in fin. In qui. cauſ. feu. amitt.* ſi dominus feudum pecuniæ nomine conceſſerit, eius capituli, id eſt, emptitiæ conceſſionis reſpectu, degenerans dicetur: aliorum vero capitulorum intuitu rectum erit. Gratuita enim conceſsio, de feudi ſubſtantia nõ eſt,

est, sed natura id est, innataquadã qualitate, ex generali feudorum consuetudine radicata. Et ideo salua feudi substantia, saluis etiã reliquis naturæ feudi capitulis, contrahentium pactionibus remitti põt. *arg. l. paciſci. l. in emptionib. D. de pactis. l. pacta conuenta. in prin. D. de contrah. empt.* Ex quibus apparet, ad bonorum allodialiũ exemplum: non solùm à vasallis, qui ea iam acquisierunt. *c. 1. in fin. De nat. feu. c. 1. in fin. De ben. fra. c. 1. in prin. De inueſt. in marit. fact.* sed etiam à dominis ipsa iam primùm concedentibus. *c. 1. Quemad. feud. ad fil. pertin.* etiam pretio eorundem nomine numerato, feuda emi posse: atq; emptione non obstãte, feuda nihilominus esse: sed emptitia, hoc est, eius capituli respectu degenerantia. Quod aduersus glossam & Iacobũ de Bel-

uiſo. *in d.c.1.* De *benefic. fratrum*, frequentiori calculo receptum eſt: vſusq; paſsim obſeruat. Et ideo quemadmodum bona allodialia ea lege vendi poſſunt: vt ſi contractus intra certam diē diſpliceat, inempta ſint. *l.3.* D. *de cōt. empt.* & *penult. Inſt. de empt. & vendit.* ita & feuda eſſe poſſe crediderim *arg. verſ. ſtrenuus. in d.c. vni de feudi cog.* Et ſicuti rerum allodialium venditionibus pactum, vel legis commiſſoriæ, vel addictionis in diem adijci poteſt. *l.2. & 3.* D. *de lege Commiſſ. l.i. & 2.* D. *de in diem addict.* ita & feudorum venditionibus hoc pactum adijci poſſe, putarim: hocque caſu Oberti ſentētiam *in c.i. in fine.* De *capita. qui curiam vendidit.* veram eſſe dicemus Et ideo ſi tibi fundum ea lege vēdidero, vt eiuſdem pretio intra certam diem non perſoluto: ipſum

sum in posterum nõ vt propriũ sed vt feudalem habeas: nihil obstare arbitror, quo minus huiusmodi cõuentio viribus subsistat. Quod aduersus glossam, *in d.c.i. De feud.dat.in vic.leg.cõmiss.* verum esse censerẽ, siue ea cõuentio inita esset super parte feudi eiusdẽ ptio, antepstitutam diem pro parte tantum soluto: siue super integro fundo, atq; eiusdem pretio ante prestitutã diem, nulla ex parte siue etiam aliqua ex parte, nõ tamen integrè numerato: q̃ Andr. de Isernia atq; Aluarottus probarunt. *in d.c.i.ar.dd.in tract. De emp.* Cæterum cùm de Iure scripto pactum legis Commissoriæ in pignoribus reprobatum sit. *l.i. & fi. C. de pactis pignor.c.significante. De pignorib.* Ideo concessio feudi per huiusmodi pactum facta, de consuetudinis lege viribus non sub-

it.*d.c.i.De feud.dat. in vicem le-*
*is Commiss.*Hocq; casu Gerhardi
sententiam veram esse dicemus.
in d.θ.fina.in c.i. De capit.qui curiam
*vend.*Sanè quoniam fidem de feu
di substantia esse omnes vno ore
fassi sunt,*ar.c.i.θ.fin.in fin. Per quos*
fiat inuest. feudum ea lege dari
non poterit,ne eius nomine va-
sallus domino suo fidem seruare
teneatur:&si ita datum fuerit, ea
lege reiecta, fides seruanda erit:
concessioque facta valebit. Nam
traditum est,pacta contra substā-
tiam interposita, contractibus
nō obesse,sed vitiari.*l. cū precario.*
D.*de precario.*Item cum feudū re-
ctum natura sui perpetuum sit.
*d.c.vni.in fin.In quib.caus.feud.*con-
sequens est illud feudum non re-
ctū dici debere: quod ita datū est,
vt ad vasalli hæredes non trāseat:
sed eiusdem,vel domini morte fi
niatur:

niatur: cuiusmodi est feudum soldatæ. Vel si feudum ita cõcessum fuerit, vt quandocunq; dño concedẽti visum fuerit, reuocari possit *arg. d. c. vn. De nat. feud.* Hinc q; est quod feudum Guardiæ & Castaldiæ ex feudorũ degenerantiũ numero sit: Nam post annũ tẽpus à dño concedente iure auferri potest: etiã ptio Guardiæ, vel Castaldię cõsequendę noĩe numerato, nõ restituto. *c. j. in prima parte. De feudo Guardiæ, vel Castald in. 2. part. De pignor. feud. dat.* Feudum autem Guardiæ constituitur, cùm quis castri, vel territorij sui custodiam alicui committit: atq; ipsi in Guardiæ, id est, custodiæ suæ mercedẽ seu remunerationẽ, feudũ aliq; concedit: vnde Custodes Guardiani dicuntur. Feudum autem Castaldiæ cõstitui dicetur: si quis rerum suarum Castaldum,

est,gubernatorem eligat : atq; si in Castaldiæ,id est,gubernatis is suæ mercedem,feudum aliod constituat. Quę feuda ideo no trãsacto reuocari possunt, a & Cuard. & Castal. officiũ de natura sui eo tẽpore finitur :Nisi noĩatimlongius tẽpus ei pstitutũ fuerit.*d.c.i.in fin primæ partis. Iaco. de Belu. & Andr .de Isernia , & reliqui ibid de feudo Guard.& Castal.* Ex qbus colligere licet,quod si hisce tẽporibus alicuius officij annalis noĩe , alicui in laboris sui merce ẽd,feudũ aliq cõstitutũ fuerit,ex acto ãno ei auferri posse *ar.d.c.1.in i.par.* etiãeo ptioip nõ restituo,q abinitio officij consequendinoĩe numerauit.*arg.d.c.1.in prima parte* Sibi enim imputabit,q sciens officium,de quo agitur,annispacio finiri,eius noĩe pretium numera rit.*arg.l.1.D.de condict. indebiti.* Si ta-

tñ feudi dñs, vel Guardiã, vel Castaldiã, vel aliud officium annuũ ante anni tempus sine iusta causa reuocaret: feudũ eiusdẽ noĩe cõcessum, nihilominus ꝑduraret. vt Andræas de Isernia atq; Aluarottꝰ elegãter tradiderũt. *in d.c.1.* Sedq̃ nõnulli arbitrẽtur feud. Camerę, vel Cauenæ vasalli morte extĩgui, eoq́; respectu degenerãs esse: eorũ tñ sẽtiæ subscribere non possum: sed Iasonis sentẽtiam, *in præludijs feud. in fine.* sequi malo, existimãtis ipsum ad accipientis hæredes transire: siquidẽ id consuetudinis lege improbatum nõ sit. *c. in fine, De feud cog. c. vnic. in prin. De notis feud.* Cæterũ feuda habitationum à recti feudi natura degenerant. Vt si cui domus, vel castri habitatio in feudũ cõcedatur: quæ cum personalis, *l. habitatio. §. vers. vtrum. D. de vsu & habi-*

bitat.eiusdē quoq; feudum per sonale erit:nisi aliud nominatim conuenerit.Ea etiam feuda,quę, ad redituū redimibilium exemplum,redimi possunt,degenerare dicuntur.*arg. d.c.vni. in fin. In quib.cau.feud.amit.* Idemq; de feudis aduocatiæ, procurationis,notariæ,iudicaturæ, & cōsimilium officiorum dicemus: huiusmodi enim feuda anni spacio finiri Doctores nostri vulgò tradiderunt. *in c. vn.θ.publici. De pace tenenda & eius viol.arg.d c.vn. in 1.part. De feu. Guard.et Castald. & c.vn.in ij. parte De pigno.dat.feud.quid iuris.* Proinde & ea oīa feuda impropriā feudi naturā habere certum est:quæ ad bonorum allodialium instar, vel vltima voluntate,vel actu inter viuos in extraneos liberè trāsferri possunt:cuiusmodi sunt ea feuda,quæ alicui ea lege concessa

sunt

sunt, vt ipse & sui heredes, & quibus ipse dederit, habeant. *c. 1. De feud. non habente propriam feud. naturã.* Quæ quidẽ feuda etsi propriã feudi naturã non habeãt, eo capitulo inspecto: alijs tamẽ capitulis inspectis iure feudi recti cẽsentur. Et ideo ex eisdem culpis amittũtur, quibꝰ vera feuda amitti solent. *d. c. j. circa fin. De feud. non hab. c. 1. & fin. vers. feudũ. Si de feud. defuncti cõtent. sit.* Excepto tñ alienationis etiã sine dñi voluntate factę, culpa: ob quã huiusmodi feuda in cõmissum nõ cadunt: vt suprà cõprobauimus. Sed si à vasallo alienata fuerint, apud emptorẽ feuda esse desinent: atq; vt allodialia, ab emptore plenodominij iure possidebuntur. *d. vers. feud. in fin. d. c. 1. de feudo nõ hab. propri.* Si tñ feuda vasallis statim ab initio cũ omni dñio, tam directo, q̃ vti-

i, cũ actionibus & directis & vti-
b⁹ cõcessa fuerint, feuda nihilo
minus erũt: sed ei⁹ capituli respe-
ctu degenerãtia. *d.c.1.θ. fin. De inue*
it. de re alien. fact. c.1. in fin. In quib.
caus. feud. amit. aliorũ verò capitu-
orũ intuitu recta: Quod aduer-
sus quosdã receptius est: q̧ ea feu
da simpliciter esse negarũt. quod
enim directum feudi dñium vnà
cũ vtili in vasallum trãseat, cõtra
feudi substantiã nõ est, sed natu-
rã. *d.c.i. in fin. In quib. caus. feud. amit.*
quę salua rerũ substantia pactio-
nibus immutari potest. *d. l. in em-*
ptio. D. *de pactis.* Vnde ex cõtrario
inferre licet, quod si feuda ita cõ-
cessa fuerint: vt vtile eorũ dñium
in vasallos nõ trãseat, feuda nihil
ominus esse: sed eius capituli re-
ctu degenerãtia: reliquorũ verò
non itẽ. *Iason in p̃lud. feudorũ.* Feu-
da quoq; ea lege data, vt ad oẽs va
salli

salli hęredes,tã fœminasq̃ masculos trãseant.*c.1.§.fin.De succes.feud. c.1.vers.ad filias in fin. De succeß.frã Etũ in feud.c.1.in prin.Episcop.Abbas vel Abb.*impropria sunt. Nã propria feuda ad solos masculos ex masculis descendẽtes,succesiõis iure deuoluẽtur. *d.§.fin.in prin.d. vers.ad filias in prin.c.1.§.1.vers.hoc autẽ notandũ.De his,q̃ feud dare poßũt. c.1.vers.etsi cliẽtulus.De alie.feud.* Et cũ de generali feudorũ cõsuetudine ad oẽs eiusdẽ gradus hęredes, succesiõnis iure,æqualiter pertineãt.*d.§.1.in fin.prin.d.c.1.in prin.De succes.feud.* consequitur illud feudũ degenerãs esse,quod ad eũ solum q̃ inter plures eiusdẽ gradꝰ hæredes natu maior est, succesiõis iure trãsit:quale est,Galliæ,Anglię atq; Siciliæ regnum.*arg.c.licet De voto et voti redempt.* Porrò et feuda sine inuestitura,vel vera vel abusiua

cõstituta, vel sine inuestitu-
vera, vel eo quod p vera inue-
tura habetur, acqsita, impro-
riá naturam habẽt. *arg. c.1. in pri.*
quib modis feud. cõstit. potest. c.1. in
fin. De cõsue. recti feudi. Hincq; est
od si quis dño iubente, alicui
possessionẽ feudi noĩe inue-
turæ tñ non interueniente, na-
us fuerit: donec quidẽ vixerit,
quasi feudi noĩe retinere pos-
sit: post mortẽ verò ad suum legi
timum hæredem nõ trãsmittat.
d. c.1. in prin. et ibi glos. in verb. parib.
De cõsue. recti feudi. Secus esset, si
corã suæ Curiæ paribus, dñs va-
sallũ in rei suę possessionẽ feudi
nomine ire iussisset. *d. c.1. in prin.*
& ibi gloßa in verb. parib. De con-
suetu. recti feud. Præterea & feuda
franca, hoc est, ab oĩbus seruitijs
libera, eo respectu degenerantia
sunt: eamq; cõuentionẽ qua ser-
uitia

uitia feudi noīe p̄stari solita, remittūtur, validā esse, Andreas d Isernia rectissimè existimauit. *d.c.1. In quib. caus. feud.* Siquidē feudi naturā tantū, nō substantiam impugnet. Idemq; de illis feudis dicemus, in q̄bus solitorū seruitiorū obligatio, in aliud onus, vt pote certā vel pecuniæ pēnsionē vel frumēti, vini, olei, salis, aliarūq̄ rerū p̄stationē cōmutata est. Quę quidē passim frequētia sūt. Idēq; de eo feudo respōdebimus q̄ ad certa seruitia determinataq; officia cōcessūest. *d.c. vn. in fi. De capi. q curā vēd. & glo. ibid.* Vt qa seruitia, q̄ eius noīe p̄stare debet, statī ab initio noīatim expressa fuerūt *d.c. vn. In quib. caus. feud. amitt.* Cum tñ ex puri & simplicis feudi natura seruitia incerta interminataq; esse debeāt. *dd. in c. vn. in fin. De capit. qui vend. Iacobinus in tracta. suo.*

De

id. in verb. & pmiserunt vers.
eritur. Ea deniq; feuda, q̃ ad
tuũ redimiliũ exẽplum, re-
i possunt, degenerare dicen-
r. Postremò quẽadmodum re-
q̃ cõtractus ex cõuentione legẽ
ccipiũt, naturamq̃; induũt. *l. cõ-*
act. De regu. iur. & text. magistra-
in l. naturalis. ff. sed si facio. ibi. & po
est mandatũ D. præscriptis verb. Ita
feudalis cõtractus. Et ideoinue
tituræ feudi, de quo agitur, te-
or in primis inspiciendus, atq;
n omnibus diligentissimè at-
endendus est: ad eumq; omnia,
anquam scopum, referẽda sunt.
l. ff. fin. Quid sit inuest. Et qui ali-
quam feudi, de quo agitur, qua-
litatem, à propria feudi natura
degenerantem allegat: siue eam
speciali contrahentium pactio-
ne inductam, siue speciali alicui
loci consuetudine receptam asse
rat:

rat: ipsam ptobare debet. Siquidem generalis feudorum consuetudinis præsumptionem contra se habeat. *d. §. final.*

Alias feudorum degenerantium species in superioribus occasione nacta explicatas, in præsens non repeto, ne aduersus vetus Iurisperitorum prouerbium, rem actam agere cogar.

FINIS.

Μόνῳ τῷ θεῷ δόξα.

BIBLIOTEKA * KÓRNICKA *

BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13951

De Jure Feudorum.